
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
15 H
36



5 – 8d.


BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE
MANVDVCTIO
AD RHETORICEN.

MANUDUCTIO AD RHETORICEN



E' severiori

Veterum Oratorum disciplina,

ET PRAESERTIM

E' sacris utriusque linguæ Patribus, qui mascula Eloquentia floruerunt, breviter deprompta.




AUTHORE

ANTONIO MARIA BONUCCI

Societatis JESU.





ROMAE, Typis Bernabò. 1703.

SUPERIORUM PERMISSU'.

INCLYTO VIRO

JOSEPHO DE SÂ ET MENDOÇA,

EQUITI ORDINIS CHRISTI,

Jureconſulto ſapientiſſimo, ac in ſupremo Braſiliæ Senatu Patri Conſcripto.

Felicitatem.



ERIT, *arbitror, cuicumque in promptu diſcernere, quamobrē Libellus iſte, pondere non mole æſtimandus, Tibi conſecratus emittatur in lucē.*

Pronum, inquam, erit singulis, meus ni me decipiat animus, ubi mentis simul & oculorum aciem in ejus titulum perhumaniter intenderint, pronunciare, selectum Te fuisse jure, & quidem quàm optimo, cujus nuncupata Nomini hæc brevis ad Rhetoricen Manuductio typis publicis exponeretur. Pollicetur nimirùm ipsa frons Operis, in Epitomen complecti illius amœnissimæ dogmata Facultatis, quæ maximam cum Jurisprudentia, quâ

ap-

apprimè consultus es, semper obtinuit, præsertim quoad Judiciale genus, necessitudinem & affinitatem. Cui pluribus ergò numeris debebatur offerri tantula de humaniori Literatura lucubratio, quàm Tibi, qui perodoris Eloquentiæ flosculis, à Te sub adolescentiæ vere cumulatissimè decerptis, severioris utriusque Legisperitiæ lauros feliciter inservisti: quique pari etiamnùm colis propensione mansuetissima benè loquendi præcepta, ac Im-

peratorias Justinianæi Codicis Institutiones; nec minùs sapidè Fabii Quintiliani Declamationes, aut Annæi Senecæ, me coram, sæpe repetis controversias; quàm Ulpiani vel Pauli nobilium Jurisprudentum scitissima responsa commemoras? Hinc tenuissimo huic Volumini nihil auspicatius obtingere potuit; quàm illius Artis patrocinium deposcere ab eo, qui jamdudum ipsimet assequẽdæ florentem exegit ætatem; quique nunc gaudebit to-

ga-

gatus esse defensor, & tutor, cujus quondàm delectabatur candidatus alumnus & cliens ab omnibus consalutari. Hujus prætereà Author Opellæ, etiam sexcentis, iisque non levibus amoris argumentis, & vinculis benevolentiæ penitùs obstrictus, si Tibi suo non placet nomine, quòd miles gregarius sit & pedestris, placebit sanè, quòd illius sub vexillo Societatis, quamvis immeritus, aspirante Numine, militet; cui non exigua voluntatis, ac obser-

vantiæ pignora , & dum Pernambuci Generalis Auditoris gereres implereſque munus , & dum modò in hoc Ampliſſimo totius Braſiliæ Senatu Cauſarum Civilium Judicem agis , palàm exhibuiſti . Geminas mihi videor , eaſque principes attuliſſe rationes , cur hoc munuſculum, ſtylo quidem ſcribentis impolitum , ſed materiæ tractatione præcipuum , tuorum meritorum granditati ſpontè perſolvendum cenſuerim . Excipe illud , rogo , tanquam

quam

quam perennis justique Obsequii vectigal, fortassis æternùm victurum, si quo studio honestis artibus faves, & huic curam favoremque Tuum impenderis. Vale.


Humanitati Tuæ

Deditissimus

Antonius Maria Bonucci Soc. Jesu.

RHETORICÆ ARTIS

Studioso Adolescenti.



PAucis te sisto, rationem susceptæ scriptionis redditurus. Ne me imprimìs, tanquam supervacaneum, crambem hìc, ut vulgo fertur, recoxisse, aut actum egisse putes, Humanissime Lector; si post Causinum nostrum, de Eloquentia cùm sacra, tùm profana non minùs sapienter, quàm cordatissimè meritum, ausus tibi esse videar, hanc qualemcumque Opellam, de Rhetorices facultate summatim inscriptam, fastidioso nimis hujus seculi genio palàm proferre. Fateor equidem, Virum tantum adeò accuratè, adeò industriè totius Oratoriæ Scientiæ

præ-

præceptiones non ſolùm enucleaſſe, ſed & apices ejus omnes attigiſſe, ut nullum poſteris locum reliquerit, colligendi ſaltem, ut ajunt, pauculas ſpicas, poſt terga metentium deciduas. Verùm ſi noveris, quid à me in hoc exiguo, nec obid pœnitendo labore præſtitum fuerit, ſi cauſam hujus concinnandæ elucubrationis parumper expenderis; nil uſquam ſuperflui reperies, nil hìc deprehendes, quod ad pleniorem, aut ſaltem planiorem ipſius prælaudati Cauſini intelligentiam, aut iter non aperiat, aut facili methodo tyrones quoſque, per interrogandi, & reponendi modos, non manuducat. In cunctis ſanè Rhetorum indagandis evulgadiſque legibus tàm exquiſitus is Author eſt, ut non ſecus ac Delphicam Cortinam, ſi quid Rhetoricæ cupidis

inciderit dubii, in omnibus fidenter consulere possint, quæ illum habere in numerato, variis experimentis omninò constat. Sed ipsâ sui operis granditate, ipsâ rerum mole, sermonisque splendore plerosque juniores, & humaniori literaturâ leviter tinctos, qui vèl à primo limine Suaveloquentiam salutant, aut obruit aut absterret, nisi altero monstrante viam, eorumque vestigia fulciente in Ejus eruditissimos Libros, velut in sacratiora Suadæ adyta, paulatim introducantur. Et id se muneris obiturum pollicetur hic Libellus, cunctos Adolescêntes, benè dicendi avidos, ad Rhetoricæ cognitionis assecutionem alliciens. Accedit, quòd non omnibus ubique, præsertim in Brasilia, ubi hæc quondam scripsi, datur occasio, aut tantum suppetit æris, quò com-

commodè possint, idem sibi Caussini Opus comparare. Hoc verò breve volumen, cum paucis constet foliis, parvo quoque vèl ipsis tenuioribus constabit. Is igitur Scopus hujus, per horas subcesivas, perficiundi nobis in animo fuit, ut videlicèt utrique huic incommodo, pro modulo nostro, occurreremus. Si quis verò me impudentiæ insimulet, quòd præsumam alios ad Rhetoricen manuducere, ipse non semel ab illius recto tramite aberrans; non aliter objectum diluam, quàm ingenuè profitens, me hìc non meo instinctu, sed Sapientum ductu juniores voluisse manuducere. Et id in causa fuit, cur, ne latum quidem unguem, à Veterum scitis, præsertim ab ordine doctrinæ tàm eximii nuper laudati Rhetoris abscesserim. Nam ex omnibus, quæ

rationi ac experientiæ magis videntur in re noſtrâ conſentanea, cùm nihil omninò ſit, quod meliùs extra limatiſſimum Cauſini judicium valeat inveniri, gloriabor de errore, ſi quid, tanti licèt Doctoris fultus authoritate, adhuc erraſſe judicabor. Pleraque verò exempla, quibus illuſtravi, ac veluti digito oſtendi ſole clariora hujus amœniſſimæ artis præcepta; inter legendum deſumpſi, non è Cauſino, ſed ab ipſis præcipuè Sanctorum utriuſque linguæ Patrum luculentiſſimis monumentis. Ut ſcilicèt qui ad eloquendum è ſacro ſuggeſtu accinguntur, per tranſennam noverint, non minùs, imò multò magis eloquêntes, utpote veri numinis ſcientiâ imbutos, in Christiana floruiſſe religione, quàm olim in Athenarum Exedris, aut Romanorum roſtris

Ora-

Oratores. Illos verò tanquam benè, nervosèque dicendi peritos, ut adamussim referre desiderent, exemplo simul & incitamento sat ipsis nobisque sit Sanctissimus Ecclesiæ Catholicæ supremusque Hierarcha Clemens Undecimus; cujus tantus emicat in omnibus, quas hactenùs habuit ad Christianam Panegyrim, Homiliis antiquioris Eloquentiæ fulgor & majestas, tantaque in servando decoro prudentia, ut primos illos sacratioris sapientiæ Magistros, facundum scilicèt Cyprianum, gravem Eucherium, popularem Chrysostomum, suadentem dictione Leonem, morumque instructorem Gregorium cominùs exprimere videatur. *Si* quid igitur emolumenti acceperis ex hoc meo palàm exhibito te juvandi desiderio, illud æqui bonique consulas,

Æter-

Æternoque *luminum Patri*, à quo *omne datum optimum*, *donumque* omnium probè eruditarum linguarum uberrimè *descendit*, grates mecum referto. Si quid verò à me peccatum, libens condona; & Vale.

THYR-

THYRSUS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis JESU.

C*Um Librum, cui titulus*: Manuductio ad Rethoricen, *à P. Antonio Maria Bonucci Societatis nostræ Sacerdote, conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo munitas dedimus. Romæ 12. Augusti* 1703.

Thyrsus Gonzalez.

Im-

Imprimatur

Si videbitur Reverendissimo Patri Sac. Palat. Apost. Magistro.

D. de Zaulis Episc. Verulanus Vicesgerens.

Imprimatur

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Apostolici Palatii Magister.

SYL-

SYLLABUS SECTIONUM.

SECTIO I.
Eloquentiæ definitio, finis, officium, species, & dignitas.

SECTIO II.
Eloquentiæ varietas, ejusque optimus character.

SECTIO III.
Eloquentia adjuvatur ingenio, doctrinâ, & imitatione.

SECTIO IV.
Ad Inventionem spectantia, ejusque loca.

SECTIO V.
Amplificationis definitio, ejus Virtutes, & Vitia. SE-

SECTIO VI.

De Dispositione, & partibus Orationis.

SECTIO VII.

Elocutionis Definitio, ejusque species.

SECTIO VIII.

De affectibus, eorumque numero, & instrumentis.

IN-

INDEX
AUTHORUM,

Qui hanc Manuductionem illuſtrant.

ST. Ambroſius Ep. Med.
Aphthonius Sophiſta.
Apollonius Tyanæus.
Ariſtoteles Stagyrita.
S. Auguſtinus Ep. Hippon.
S. Avitus Ep. Viennen.
Aurelius Caſſiodorus Monachus D. Ben.

Baſilius Imp.
S. Baſilius Seleuc.
S. Bernardus Ab. Claræv.

C.V. Catullus.
M.T. Cicero.
Codinus Curopal.
Cornelius Tacitus.
S. Cyprianus Ep. & M.

Demoſthenes, juxta Ulpiani Comment.
Dionyſius Halicarnaſſ.

S. Dio-

S. Dionysius Areopag.

Epictetus Stoicus.
S. Eucherius Ep. Lugdunen.

Fabius Quintilianus.
S. Fulgentius Ep. Ruspen.

S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus
Guerricus Ab. Igniacensis.

S. Hieronymus Stridon.
Homerus, juxta interpret. And. Divi.
Horatius Flaccus.

S. Ildephonsus Ep. Toletan.
Joannes Cassianus.
S. Joannes Chrysostomus.

Lactantius Firmanus.
T. Livius Patavin.
Ludovicus Granat. Ord. D. Dom.

A.A. Macrobius in Saturnalib.
Manlius Torquatus Severinus Boetius.
M.V. Martialis.
S. Maximus Ep. Taurin.

Oppia-

Oppianus Poeta Græcus.
Origenes Adamantius.
Osorius Ep. Silvensis.

L. Pacatus Drepanus.
S. Paulinus Ep. Nolan.
Petrus Blesensis.
S. Petrus Chrysologus Ep. Raven.
Philo Hebræus.
Plinius in Paneg.
Plutarchus Chaeroneus.

Raymundus Jordanus, vulgò Idiota.

Salvianus Presbyter Massilien.
L. A. Seneca Cordub.
Simonetta Ord. D. Bened.
Suetonius Tranquillus.
Symmachus.

Q. S. F. Tertullianus.
S. Thomas Aquinas Doct. Angelic.

Vegetius de re militari.
Virgilius Maro.
Ulpianus Jureconsultus.

S. Zeno Ep. & M. Veronen.

MA-



MANUDUCTIO AD RHETORICEN.

SECTIO I.



Eloquentiæ definitio, finis officium, ſpecies, & dignitas.



QUID eſt Eloquentia?

Eſt appoſitè & efficaciter loquens ſapientia, vel [ad unamquamque rem competens, & decora locutio.] Hinc à primo veluti veſtibulo liquet, quantum illi decipiantur, qui eloquentiam putant eſſe tumultuariam Verborum idem ſigni-

Caſſiod. in Pſal. cap. 15. Præfationis.

ſignificantium congeriem, affectatum dicendi leporem, & fucatam venuſtatem; cùm nihil tamen veræ Eloquentiæ magis contrarium ſit. Eloquentia enim non eſt illa inanis & prope puerilis verborum volubilitas, quæ ſæpè popularium auribus jactabunda ſe venditat, ſed, ut diximus, diſertè & copiosè loqnens ſapientia, quæ in prudentum animos cum ſuavitate illabitur. Tolle enim ſapientiam, Eloquentiæ ſequetur interitus. Quò verò quis prudentiùs & gravius loquutus fuerit, eò præclarius Eloquentiæ ſpecimen, modò ſermo ſimul purus acceſſerit, cuique præbere videbitur.

Quiſnam Eloquentiæ finis?

Perſuadere dictione.

Quod hujus facultatis officium? Di-

Dicere apposité ad persuasionem. Inter officium autem & finem hoc interest, quod in officio quid fieri; in fine quid officio conveniat, consideratur: Ut me, dici officium dicimus esse curare, ad sanandum appo, sitè; finem, sanare curatione.

Quotuplex est Eloquentia?

Triplex: Divina, heroica, & humana.

Quæ est Eloquentia Divina.

Quæ Dei solius est incitata spiritu; quæ una vel infantissimos quosque facit flexanimes & magniloquos Oratores. Hac claruit Moyses, Elias, & Paulus, cujus hodie faustissima inter Ecclesiæ Fastos recurrit miræ Conversionis memoria. Audi Cassiodorum. [Eloquentia *Præfation. in Psal. c. 15.*

divina humanis non est formata sermonibus; neque confusis incerta fertur ambagibus: ut aut rebus præteritis oblivione discedat, aut præsentium confusione turbetur, aut futurorum dubiis casibus eludatur: sed cordi, non corporalibus auribus loquens, magnâ veritate, magnâ præscientiæ firmitate cuncta dijudicans, authoris sui veritate consistit:] Et paulò post; [hæc, inquit, casta, fixa, verax, & æterna prædicatio, nimis purissimo nitet eloquio; cujus utilitas lucet, magnificentia Virtutis apparet, operatio salutis arridet.]

Quænam Heroica?

Quæ non solùm humanis adjuta præsidiis, sed meliori Cæli ubere irrigatur. Hac effloruit Basilius; Grego-

gorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Cyprianus, Leo Magnus &c.

Quæ Humana?

Quæ non eſt puerilis, ſed virilis, plena virium, & venuſtatis: qualis fuit Demoſthenis, & Ciceronis. Puerilis enim plena eſt vanitatis, & futilium deliramentorum.

Quæ dignitas Eloquentiæ?

Ea eſt, ut lumen cæli, & ex æternæ lucis fonte delibatus radius credatur.

Quæ dulcedo?

Ea eſt; ut bellè cadant in ipſam verba Salomonis: *Favus mellis compoſita verba, dulcedo animæ, & ſanitas oſſium.* Et meritò quidem; nam ſicut favus ſtillat mellis ſuavitatem, ſic Orator ſermonis facundiā? Unde de Neſtore ait Homerus [cujus ab ore melle dul-

Prov. 16. 24.

Homer.

dulcior fluebat oratio.] Secundò, mel est opus & nectar apum, quæ prudentiæ sunt symbolum: simili modo, dulcedo eloquii manat à mente prudente; Unde in ore Sancti Ambrosii adhuc pueri lusit examen apum, portendens ejus sermonis prudentem suavitatem. Idem accidit D. Isidoro Episcopo Hispalensi, D. Dominico Ordinis Prædicatorum Conditori, ac ex Gentilibus Platoni & Pindaro. Tertiò Apes legunt mel ex floribus, & herbis odoratis: sic sapientes legunt mel sermonis ex areolis Sanctarum Scripturarum, & Veterum Patrum vario sententiarum colore picturatis. Quartò, Oratoris tria sunt munera, docere, delectare movere (ad differentiam Dialectici, cujus est tantùm do-

docere) quæ ſingula repræſentantur per mel; mel enim reficit, dulcorat, & ſanat; refectio repræſentat doctrinam, dulcedo delectationem, ſalubritas motum & perſuaſionem. Hinc S. Auguſtinus ſcripſit: [dixit quidam Eloquens, & verum dixit, ita, dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat: Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuavitatis, flectere victoriæ.] Quintò, favi mellis mirâ arte, & concinnitate conſtruuntur ab apibus, & cerâ incruſtantur, ne diffluant, ut graphicè deſcribit Plinius arcanorum naturæ ſubtiliſſimus indagator: ſic vir ſapiens magnâ prudentia, ordine, methodo, elegantiâ componit, & *diſponit ſermones ſuos in judicio*, indeq; eis tàm efficax ſuavitas, & *Aug. lib. 4. de doctrina Chriſtiana.* *Plin. l.11.c.12* *Pſal.111 5.*

Plin. l.7. c.30. tàm ſuavis efficacia ; quod demiratur Plinius in Platone, Ennio, Virgilio, Varrone, & Tullio. Hinc Eſther orabat Deum in hæc verba: *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu leonis, & transfer cor illius in odium hoſtis noſtri.* Eſth. 14. 13. Nihil enim eſt, quod vèl barbarorum animos & ſenſus percellat, ac incredibili quadam ſuavitate reſpergat magis, magiſque titillet, quàm benè compoſita ſermocinatio.

Quæ Utilitas?

Ea, quæ ex proximè dictis liquet. Præter quam, quod, duæ res ad civilem vitam valde neceſſariæ, Ars ſcilicèt militaris, & Doctrina, Eloquentiæ operâ non mediocriter indigent; ut Tacito; vel, ut alii tribuunt, Quintiliano placet.

Quæ

Quæ vis, & robur?

Illud profectò, quod, nuper agentes de ejus dulcedine, tetigimus. Eſt prætereа adeò vehemens, ut (ſi Sapientiæ, vitæque integritati copuletur) omnium auditorum animos gratiſſimâ ſervitute ſibi mancipet, aut in quoſcumque velit affectus inducat. Ut autem Rhetor, præſertim ſacer, magna in dicendo & in animis flectendis polleat virtute ac dexteritate, par erit, ut dotibus Chriſtiano Oratore dignis ſe penitùs inſtruere nitatur. Earum prima eſt puritas & rectitudo intentionis, quam Eccleſiaſtes in hujus muneris functione retinere debet; ut ſui ſcilicèt ſuorumque commodorum ac honoris oblitus, in ſolam Domini ſui gloriam, & animarum ſalu-

tem toto conatu intēdat oculos; illam solam intueatur, illam captet, illam cogitet, nec unquam ab illa ad se mentem convertat. Indignissimm enim est, cùm de Summi Conditoris gloria, & sempiterna animarum sive vita, sive morte agitur, ut homo tantarum rerum momenta negligens, solam gloriolæ suæ rationem habeat, magisque hanc inanem rumusculi popularis auram periclitari (si minùs auditoribus grata sit ejus oratio) quam Dei honorem, & animarum salutem persentiat. Secunda, Vitæ morumque probitas; nam, si ea Sacri Oratoris dignitas, & majestas est, ut ipsum Dei Unigenam, principem & authorem sanctè concionandi habeat, *pro eo*que *legatione fungatur* in terris; qualis ejus

in-

integritas & sanctimonia futura est, qui huic tanto muneri destinatur? Neque enim natura rerum patitur, ut in tantæ dignitatis splendore vita sordeat; sed illud exigit, ut cum ministerii celsitudine, vitæ gestorumque innocentia decertet. Hinc Jeremias, ad improbos populi mores castigandos mittēdus, in matris utero, priùs Spiritus Sancti lumine, quàm lucis hujus usurâ perfruitur. Isaias audientium scelera objurgaturus, Seraphini ad eum volantis ope, circa labia sacro purgatur igne. Apostoli quoque ut idonei Evangelicæ doctrinæ Satores efficerentur, divini Flaminis charismatibus die Pentecostes cumulatissimè delibuntur. Quid Paulum memorem, quem in tertium usque

Jerem. 1. 5.

Isa. 6. 6.

1. Cor. 12. 4. cælum charitatis extulit ardor, ut inter Angelos disceret, quod inter homines doceret? Adeò itaque sint egregia Virtutum opera, quæ splendeant in Ecclesiaste, ut eum populi magis admirentur cùm viderint, quàm cùm audierint. Audiatur Lactantius Firmianus: [Qui dat, inquit, præcepta vivendi, debet amputare omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem, non vi aliqua, sed pudore. Quomodò verò amputari poterit excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi prævius, & manum porrigat secuturo. Nam habere non possunt quæ doceas firmitatem, nisi ea prior feceris; quia natura hominum proclivis in vitia, videri vult non modò cum venia, sed

Lib. 4. divin. Inst.

ſed cùm ratione peccare.] Tertia, Sanctæ orationis ſtudium; nam Patrum ſententia eſt, Evangelicos Doctores in contemplatione haurire, quod poſtea in Chriſti gregem effundant; ſi namque voti compotes fieri velint, precibus magis, quàm verbis munus ſuum urgeant: ſint priùs Oratores, quàm Doctores; & ad Deum levent animam ſitientem, ut eructent quod biberint; & ignẽ, quem conceperunt, in aliis accẽdant. His demùm animi dotibus abundanter ſacri Oratores inſtructi, *mittent verbum ſuum, & liquefacient* corda; *flabit ſpiritus* Domini per hæc organa, *& fluent aquæ* ſaluberrimi doloris & compunctionis.

Ex S. Auguſt. l. 4. de doctr. Chriſt.

Pſ. 147. 18.

Quæ antiquitas Eloquentiæ?

Ea,

Ea, ut cum ipsis oppidis, hominumque cætibus ortum habuerit. Sic Rhetorum nomen antiquissimum est, & longè ante Philosophorum appellationem, quippem Homerus ejus ipsius meminit, Iliadis primo: & Menelao argutam brevitatem, Nestori, ut suprà diximus, melleam suavitatem, Ulyssi copiam nivibus hibernis simillimam tribuit. Cicero verò in Bruto, Eloquentiæ initium facit ab Athenarum adolescentia.

Homer.

Cicero.

Quod discrimen inter Dialecticam, & Rhetoricam?

Id videlicèt est, quòd Dialectica ad differendas res acutior; Rhetorica ad illa, quæ nititur, docenda facundior: illa ad scholas nonnunquam venit; ista jugiter procedit in forum; illa requirit

rariſ-

ariſſimos ſtudioſos; hæc fre-quentes populos.] Ita Aure-lius Caſſiodorus. *De Dialectica cap:3.*

Quot dicti ſunt Rhetores penes antiquos?

Tot equidem, ut penè ſint innumeri. Potiſſimùm, quoquo modo diſerti. Item, qui Reipub. gubernacula, tanquam Conſiliarii, moderabantur. Tertiò, umbratilis eloquentiæ Doctores ac Sophiſtæ. Quartò, omnes Cauſidici, uti D. Lucas (Act. 24.) Tertullum, qui adversùs D. Paulum coram Præſide Felice cauſam egit, hoc nomine *Rhetoris* appellat. Quintò, ſacrarum Literarum Interpretes; ut Codinus refert. *Act. 24.* *Codin.*

Quo in honore eſt habitus Rhetor?

Maximo quidem; adeò ut ſicut Imperatori laurea debetur, ita & Rhetori palmæ

mæ ſint conſecratæ; quarum meminit Martialis lib. 7. epigram. 28. ad Fuſcum. Deſtinatæ inſuper ſunt Oratori Sphinges, uti Hortenſio à Verre Sphinx data fuit, tanquam interioris ſapientiæ Symbolum. Tertiò, attributæ etiam Oratoribus ſirenes; quod ea, quæ in Iſocratis tumulo collocata eſt, ſatis indicat; idque ob melleam orationis dulcedinem. Quartò, honor ſtatuarum penè vulgaris apud ipſos Oratores fuit: ſiquidem uni Demetrio Phalereo trecentas & ſexaginta ſtatuas Athenis erectas legimus. Quintò, legationes, ut Cyneæ, Demoſthenis auditori, apud Populum Romanum, Anaximeni apud Alexandrū. Sextò, Magiſtratus, & Præfecturæ perſæpe Rhetoribus ſunt demandatæ: Auſonius

Martial.

de

de Rhetore factus est Consul à Gratiano, haud immemore Præceptoris Discipulo. Septimò, Urbes & Provinciæ, uti Constans Imp. Proæresio donavit. Octavò, ipsi Rhetores ad conscensum Imperatorii vehiculi sunt admissi: Utì Trajanus in suum aureum currum Dionem admisisse perhibetur.

Demosthenes ne ab Aristotele præcepta eloquentiæ didicit?

Nequaquam, ut disertè confutat Dionysius Halicarnasseus. Siquidem, antequam Aristoteles Libros Rhetoricos elucubraret, jam Demosthenes Rempub. capessere, & conciones habere cœperat.

Quodnam est optimum Eloquentiæ genus?

Id quod M. Tullius assecutus est. Vir, de quo dubi-

bites, an ipse totus ex eloquentia, an ex ipso tota Eloquentia sit confecta. Grandis est, temperatus, laxus, acutus, pressus, effluens, volubilis, lentus, velox, remissus, suavis, acer, insignis, florens, pictus. Unus omnia diffusa per cæteros Oratores ornamenta complexus est. Dicam excelsiùs: Proteus Ægyptius est, miraculum Homericum; tantæ sunt ejus, diversæque, & semper aptissimæ formæ. Ejus item laudes angusto simul & augusto complexus compendio est C. Valerius Catullus, canens illi hoc elogium:

Catul. carm. 1.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quotque fuêre, Marce Tulli,
Quotquot post aliis erant in annis.

Sed

Sed præ cunctis præconiis, maneat hoc ratum & fixum, ut quisquis M. Tullium Ciceronem nominârit, laudârit satis.

SECTIO II.

Eloquentiæ varietas, ejusque optimus character.

QUOT sunt styli vitiosa genera?

Secundùm Longinum, tria; hoc est, frigidum, puerile, insanum. Secundùm Senecam, quinque; scilicet inflatum, infractum, audax, præruptum, allegoricum. Secundùm recentiores, tredecim; videlicèt, tumidum, cacozelum, frigidum, parenthyrsum, puerile, scholasticum, poeticum allegoricum, miscellaneum, humi-

mile, ſiccum, lentum abruptum; quorum alia in exceſſu, alia etiam in defectu reperientur.

Quotuplex eſt inflatæ, ſeu tumidæ orationis genus?

Triplex: aliud enim verbis intumeſcit; aliud ſenſibus; aliud ſenſibus ſimul & verbis.

Quod eſt vitium in Cacozelo ſtylo?

Eſt prava affectatio orationis, ducta ex errore vitioſæ imitationis.

Quod vitium frigidi?

Quod ſtyli corrumpit optimam temperiem, novis & peregrinis ſenſibus.

Quod eſt genus ſtyli puerilis?

Quod refert ſenſus tenjuculos, cum aliqua illecebra vaniſſimæ jucunditatis.

Unde puerilis ſtylus originem trahit? Sæ-

Sæpè istarum nugarum, ·el in verbis, vel in sententiis ·arens est amor, & vitiis obeſſæ mentis hebetudo.

Quid est stylus parenthyr-ıs?

Est oratio gradibus, & ıtempestivis affectibus, & fiuris in re parva insaniens; t ex Longino licet colligere.

Unde hoc nomen emanat?

Ab origine Græca παρενυρσον, quasi ad thyrsum acedens. Norunt omnes thyrım appellari hastulam fronibus vestitam, quam bachantes gestabant; & hoc peretuum Bacchi insigne.

Quis est stylus scholasticus?

Qui ad umbratilium ræceptorum minutias putiiusculè conformatur, cùm ivilis deberet esse oratio. Hoc stylo laborarunt Isocraes, & Julianus.

Quis



Quis est stylus poeticus?

Qui poeticis modis perperàm in soluta oratione abutitur, vel verbis, vel numeris. Non soli quidem Poetæ numeris mulcent: habent & Oratores suos, sed longè à poeticis dissimiles.

Quod habent commune Oratores cum Poetis?

Judicium, electionemque verborum, & rerum.

Cur Poesis Oratori necessaria?

Quia ab ea & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor, & in dicendo tenor eloquentiæ petitur, nunc scilicèt copiosus, in quo Cicero dominatur; nunc brevis, in quo Sallustius regnat; nunc pinguis & floridus, in quo Plinius secundus, & nullo veterum mi-

ıinor Symmachus, teste *Saturn. lib.5.c.1.*
Iacrobio, luxuriatur. Et ſi-
ıt Oratorum non unus, ſed
ıultiplex dicendi tenor eſt;
ım hic fluit, & redundat;
ontrà, ille breviter & cir-
ıncisè loquitur; alius pin-
ıi, luculentâ,& floridâ ora-
one laſcivit:ſic & Poetarum
on ſimplex nec unus elocu-
onis modus eſt. Quos qui-
m omnes apud Unum Ma-
nem, ſi ſeriò illum conſu-
, facillimè reperies. Vis
dire illum, tanta brevitate
entem, ut arctari magis
contrahi brevitas ipſa non
ſſit?
Et campos, ubi Troja fuit.
ce pauciſſimis verbis ma-
nam civitatem hauſit, &
orpſit, inquit Macrobius: *Macrob. loc. cit.*
n reliquit ille nec ruinam.
Vis hoc ipſum copioſiſſi-
dicat?

Ve-

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardanidæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens
Gloria Dardanidum. Ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danai dominantur in Urbe.
O patria, ò Divum domus Ilium, & inclyta bello
Mænia Dardanidum.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? Antiqua ruit multos dominata per annos.

Quis fons, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot hic verbis inundavit? Cedò nunc, inquit prælaudatus Macrobius, floridum illud genus orationis:

Fortè ſacer Cybele Choreus, olimque Sacerdos
Inſignis, longè Phrygiis fulgebat in armis;

Spu-

Spumantemq; agitabat equũ,quem pellis ahenis
In plumam ſquamis auro conſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus, & oſtro
Spicula torquebat Lycio Cortinia cornu,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
d hęc quidem inter ſe ſepa-
a ſunt. Optas autẽ videre,
emadmodum hæc dicendi
nera Virgilius ipſe permi-
at, & faciat unum quod-
m ex omni diverſitate pul-
errimum temperamẽtum?
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atq; levem ſtipulam crepitantibus urere flãmis.
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, ſive illis omne per ignem?

Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà ſuccus in herbas:
Seu durat magis, & venas aſtringit hiantes,
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia Solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Ecce dicendi genus, quod vix alibi deprehendes, in quo nec præceps brevitas, nec infinita copia, nec jejuna ſiccitas, nec lætitia pinguis. Ecce Eloquentiam omni varietate diſtinctam, quam imitêre in Poetis [quamque ſanè mihi videtur Virgilius, ut verbis ejuſdem Macrobii utar, non ſine quodam præſagio, quo ſe omnium profectibus præparabat, de induſtria permiſ-

Macrob. loc. cit.

cuiſſe

cuisse: idque non mortali sed divino ingenio prævidisse; atque adeò non alium ducem secutus, quàm ipsam rerum omnium matrem naturam, hanc pertexuit, velut in musica, concordiam dissonorum.] O magnam Virgilii mentem! En in quo debent Oratores Poetas imitari; non autem in numeris poeticis; quibus vitiosè scatent in soluta oratione Apollonius, Ennodius, Sidonius, & alii aliòquin spectabiles Rhetores.

Quinam est stylus allegoricus, & periphrasticus?

Est qui importunè apparet refertus allegoriis & metaphoris. Pulchræ quidem sunt metaphoræ; sed & pulchrorum modus est. Melleæ sunt; & mellis suavitas affert satietatem & nauseam.

Gemmeæ ſunt; diſtinguant igitur opus non confundant.

Quis eſt ſtylus miſcellaneus, & antiquarius?

Qui non uno dumtaxat errore contentus, omnes omnium ſordes complexus eſt. Modò enim inflatur ſupra cothurnos etiam tragicos, modò infra ſoccum repit; modò dulcis videtur, & hilariùs effluens, modò inſtar torrentis ad ſaxa violenter alliſi ſtrepere non deſinit; hìc particulas verſuum conciſas videas, illic Græcanica creberrimè permixta; hîc effoſſa ex penitiſſimæ antiquitatis ruderibus vocabula, illic nova & recenter cuſa, nonnulla etiam miro ſchemate interpolata. Aliàs gravitatis perſonam affectat, aliàs laſcivit pueriliter, mox etiam ſuccedunt frigora ac nives, & quicquid

quid in ſtylo prudentes verentur; ad ſummum fit.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Qui ſæpiùs utuntur hoc ſtylo?

Critici plerùmque, non qui ſunt melioris notæ, ſed leviores & audaciores, de quibus dubium eſt, tumore ne magis animi laborent, an orationis. Qui ſtylum antiquarium affectant, quia habet ſpeciem aliquam eruditionis, dum diverſa Authorum antiquorum fragmenta coagmentat; arripit etiam obſcuriſſima quæque adagia, & tenebricoſas hiſtorias, & jactantiam eruditionis paſſim intruſæ prope puerilem.

Quomodò cavendum nobis erit ab hoc ſtylo?

Si ipſis ſtudiorum cuna-

bulis unum Ciceronem, & paucos ſanoſque Hiſtoricos lectitemus; ne nimiâ doctrinæ, quàm avidiùs aliquando concupiſcimus, ambitione, perpetuam ſtyli jacturam faciamus.

Quis eſt ſtylus humilis & rudis?

Qui vel per ſenſuum exilitatem, vel per tenujum verborum abjectam compoſitionem deſcendit.

Quandonam ſenſus humiles fiunt?

Cùm minutulas res putidiuſculè diſcutiunt Oratores.

Quandonam verba tenuja componuntur?

Cùm aut delectu carent, aut ſtructurâ. Hoc ſtylo humili multa extant in ſacris Literis, quas non gentium phaleris excoli voluit Deus,

ut in nuda sermonis simplicitate præpotentis spiritûs clariora essent miracula. Hinc D. Paulus dicebat: *Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Sic, dum simplicibus Scripturarum Sanctarum verbis adhæremus, ostẽditur, vim quandam cœlestem, & gratiæ divinæ energiam illis inesse; cui solùm, & non hominum sapientiæ, tribuenda est nostra conversio. Hanc simplicitatem contemnunt sæculi prudentes; qui [superbè delirantes, & carnales nimis,] ut loquitur Augustinus, non intelligunt quæ Dei sunt. Hanc ipsemet Augustinus, dum adhuc superbus esset, sprevit ut par-

1. Cor. 2. 4. & 5.

Lib. 3. Conf. c. 6.

vam, sic enim de se fatetur: [Institui animum intendere in Scripturas Sanctas, ut viderem, quales essent. Et ecce, video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysteriis; & non eram ego talis, ut intrare in eam possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim, sicut modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam Scripturam, sed visa mihi est indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus; & acies mea non penetrabat interiora ejus. Verum tamen illa erat, quæ cresceret cum parvulis. Sed ego dedignabar esse parvulus; & turgidus fastu, mihi grandis videbar.] Sed audi

Eod. lib. c. 5.

quid

quid de Scriptura ſentiret, jam humilis ſpiritu: [Quicquid homo extra Scripturam didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur; ſi utile, invenitur. Et cùm ibi quiſque invenerit omnia, quæ alibi invenerit: multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nuſquam omninò alibi, ſed in illa tantummodò Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate diſcuntur.] *Lib. 1. de Doctrin. Chriſt. cap. 42.*

Quid eſt ſtylus fluctuans & diſſolutus?

Eſt id genus orationis, quod ſine nervis & articulis fluctuat huc & illuc, nec poteſt confirmare, nec viriliter ſeſe expedire. Hujuſmodi ſermo nunquam poteſt tenere attentum auditorem.

Quis eſt Stylus ſiccus?

Eſt qui omnibus apparet ſpoliatus ornamentis.

Sunt ènim quidam, quos diceres ſanctè juraſſe, ſe ne metaphoram quidem ullam in ſcriptis uſurpaturos. Qui quàm falsò ob ſiccitatem ſeſe Atticos commendent, videat quilibet apud Ciceronem in Bruto.

Quid ſentiendum de acuta ſtyli brevitate, ſententiiſque abruptis & ſuſpicioſis?

Repudiandus hic ſtylus prorsùs non eſt; aliòquin malè de totius Eloquentiæ ratione ſentiremus. Patronos enim habet non paucos, admiratores multos, quamplurimos amatores. Hoc tantùm dico, hunc, quem omnes tàm avidè concupiſcunt, ſtylum, nec omnium ingeniorum, nec omnis argumenti, nec omnis etiam temporis proprium videri: atq; ipſum, dum affectatur moroſius,

mul-

multis iisque puerilibus ineptiis reddi obnoxium. Hoc ſtyli genus Heroes illi, Seneca, Salluſtius, Plinius, Tacitus non minùs graviter, quàm feliciter cõſectati ſunt.

Quando nam vigere cæperunt acumina, & breves ſententiæ?

Cæperunt efflorefcere, non apud Romanos, ſed apud Græcos; nec primis quidem temporibus, quibus candidiori & liberiori profluentis naturæ impetu ferri videbatur oratio; ſed poſtquam magni nominis Sophiſtæ, Philoſophiæ præceptis inſtituti, nec mediocribus Eloquentiæ adjumentis innixi dicta quædam aurea, ex Lycæi & Academiæ hauſta fontibus, elegantis ſtyli expeditis, ac vibrantibus ſententiis, quaſi auro gemmas includere cæperunt.

runt. Sed omnium verecundissimus fuit postea Cicero in acuminibus. Quod enim alius in conclusione, post vibratam fortè ex ejusmodi acuminibus periodum, haud timidè dixisset apud Cæsarem: Tu ipsam Victoriam, Cæsar, vicisti; ille verecundè se insinuans; [vereor, inquit, ut hoc quod dicam non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio: ipsam victoriam vicisse videris.]

Cicero.

Qui error est eorum, qui abutuntur stylo abrupto, & frigidè acuto?

Gravis error eorum est, qui plurimum quidem in eo habent ingenii, sed parum cordis. Itaque nec vim illam mentis exundantem coercere possunt, sed dicunt quicquid in buccam. Quid autem res,

quid locus, quid aures patiantur, minimè considerant. Infercire volunt omnia acuminibus, nihil sine figura, dici, etiam figuratè panem peti.

Qualis debet esse brevitas orationis?

Ut nihil obscuritatis habeat, ut non sit prærupta, suspiciosa, nimis affectata, quæque insidias tendere videatur in clausulis. Atque in eo magnopere spectandum est argumenti genus, aliud enim Epistolæ, aliud Historię, aliud declamatoriæ oratiunculæ, aliud etiam justæ orationes desiderant; hæ etenim non ferunt præruptam brevitatem.

Quænam verò erit optima lex brevitatis?

Hæc erit, opinor, iis qui minimè Asiatici fieri volunt,

lunt, si Demosthenis orationes, & Ciceronis Philippicas imitentur; habent enim valde sanam brevitatem.

Quę sunt leges acuminum, & eorum usus?

Hæ tres. Prima, ut argumento conveniant. Secunda, ut non sint nimis crebra. Tertia, ut non sint frigidè affectata, & obscura. Quamquam, ut verum fatear, quæcumque leges sive præcepta tradantur acuminũ seu argutiarum, aut ea ingeniosum spectant; & ille quidem sibi lex est, ars, & præceptor: sint flores, sint spinæ, quas appellas sententias & acumina, utrumque sponte suâ nascitur: aut res tibi cum rudi, duroque robore, tunc verò laterem lavas. Id unum imprimis meminisse te vellim, quàm parcè, ut dixi,

his utendum luminibus, & quasi oculis Eloquentiæ, ut monet Quintilianus. Nam, præterquam quòd natura cujus vestigia semper ars debet imitari, solùm duos in tota hominis facie oculos aperuit; difficile omninò est, in hujusmodi acuminum, & sententiarum copia, sustinere orationem, ne aliquando serpat humi, ne quid minuti, leviorisque sensiculi immisceatur. Neque enim, ut eundem audiamus Quintilianum, possunt tàm multæ bonæ sententiæ esse, quàm necesse est, multæ sint clausulæ. Ubi verò multiplici argutiarum pondere gravatur oratio, si singulas ad calculos revoces, & velut ad libram expendas, teruncio non semel nummos leviores agnosces.

Lib. 7. c. 5.

Quæ

Quæ vera, germanaque Eloquentia eſt?

Quæ maximè teneat eos, qui audiunt, & quæ non ſolùm delectet, ſed etiam quæ ſine ſatietate delectet. Ad ſummum, quæ gravis, quæ ſuavis, quæ erudita, quæ liberalis, quæque ſenſus, & colores habeat quantum opus eſt.

Quot ſunt genera prælaudatæ Eloquentiæ?

Tria: grave, mediocre, attenuatum.

Quot ſunt Virtutes orationis?

Novem: ſcilicèt, perſpicuitas in verbis, & in diſpoſitione orationis; gravitas in argumentis; aſperitas in ſententiis, & verbis; quæ quidem non convenit adoleſcentibus, & quam comitantur figuræ imperativæ, &

inter-

nterrogativæ. Vehementia, quæ differt ab asperitate, quod hæc in hostes, illa etiam in amicos torqueatur; Splendor, qui fit, ubi Orator nonnulla de se, & suis de rebus gestis parcè & meritò prædicat, uti D. Paulus (2. ad Cor. 11.) Vigor, qui ex temperie asperitatis, vehementiæ, & splendoris emergit; ambitus, seu amplificatio deducta à circumstantiis, & à thesi ad hypothesin; Methodus, Pulchritudo, & suavitas styli permixta cum celeritate, & cum decoro; quod omninò servandum est, spectatâ semper argumenti, loci, ac personarum conditione. *2. Cor. 11.*



SECTIO III.

Eloquentia adjuvatur Ingenio, Doctrina, & Imitatione.

QUid eſt Ingenium, Eloquentiæ primum adminiculum?

Intellectus ipſe hominis; qui ſi acutior, atque ſolertior ſit, vocatur ingenium. Ariſtoteles ait: [eſt vis quædam, quam ingenium dicunt, quæ ejuſmodi eſt, ut efficere poſſit & adipiſci ea, quæ ad propoſitum finem pertinent.] Tùm ſubdit: [Ingenium non eſt prudentia, ſed eſt habitus prudentjæ, quaſi oculo animi innatus:] dirigit enim prudentiam, quaſi oculos ad executionem; ut quod illa prudenter concepit, ipſa expeditè & ſolerter exequatur: unde ſine ea, prudentia eſt

luſca

ſca, vel monocula, quia ecutio eſt cæca; eſto conptio & electio fuerint ocu:a.

Quotuplex eſt Ingenium?

Multiplex. Ut enim rorum ita & ingeniorum agna eſt varietas. Alia enim ecunda, alia ſterilia: alia ırea; alia argentea, alia fer:a, alia plumbea videntur.

Unde tanta varietas?

Primò, ex majori aut ninori animi perfectione; ıi licèt ſit idem ſpecie in gamemnone, ac in Therta, tamen eſt diſpar dignita: in utroque; ſecundò, ex derum influxu; Tertiò, ex ɔcì conditione; quartò, exorporis tēperamento; quinɔ, ex inſtitutione.

Quot ſunt ingenii qualiatès?

Tres. Alia enim ingenia

nier-

inertia ſunt,& ſtupida, ut fuit illud Claudii Cæſaris, alia nimis velocia ſunt, & calida, ut illud Hermogenis, & Caligulæ; quæ plerumque in ſtultitiam, & furorem degenerant; alia ſedata & manſueta, atque ideò meliora ad omnem rationem humanitatis. Non placent mihi ingenia Simiarum, quæ verſatili levitate huc & illuc volitant, in nugis triumphant, & in ſeriis rebus hebeſcunt. Sordent mihi vilia, & abdomini dedita porcorum: nauſeam mihi faciunt ſordida ſimul, & callida vulpecularum. Volo ingenium: quod? Simplex, candidum, ſolers, conſtans, feſtinè lentum, magnum, exaggeratum, quod ſe ſupra avaritiam, ſupra voluptatem, ad cœlum uſque efferat, Benè eſt: hoc litteris aptiſſimum erit. Num

Num poteſt ingenii vis, ex
alorum & vultus phyſio-
omia, diſcerni?

Probè quidem, nam
arævallenſis Abbas ait:[Fa-
es hominis eſt ſpeculum
rdis.] Addo ex Pacato:
n ſpeculo frontium imago
tat animorum.] Cui Ci-
ronem adnecto, ſic philo-
phantem: [omnis motus
nimi ſuum quendam à na-
ra habet vultum, & ſonum
geſtum: animi imago vul-
us eſt.] Hinc Ariſtoteles, in
hyſiognomicis, docet: [In-
genioſi ſigna ſunt caro humi-
lior & mollior; non boni
abitûs, neque valde pinguis:
quę circa humeros & collum
nacriora, & quę circa faciem
&c. Corpus album mixto ru-
bore, & purum: cutis tenuis,
pili non valde duri, nec valde
nigri: oculus charopus, hu-
mi-

Bern. de modo benè viven. c. 65.

In Panegyric. Theod. Imp.

Cic. l. 3. de Orat.

Ariſt. c. 6.

midus &c.] Charopus, ideſt, Cæruleus, qualis eſt color maris & cœli, aut fulvus, qualis eſt aquilarum & leonum; Latini ravum vocant. Hæc ſigna ſunt, ut plurimùm non ſpernendæ conjecturæ; quia diſpoſitio mentis magis apparet in facie, in qua ſenſus omnes vigent, quam in partibus aliis; quamvis non planè certæ, nec ſemper veræ. Unde ferunt Socratem ex vultu viſum impudiciſſimũ, & malè moratum: ſed arte & virtute vicit ille naturam.

Emolliunt ne Chriſtiano cultu ingenia?

Neutiquam. Ingeniis enim verè Chriſtianis nihil præſtãtius fuit, cùm germana eruditionis ſit pietas, & rerũ magnarum comes perpetua. È contra: Ingenium in impio eſt *circulus aureus in naribus ſuis;*

Prov. 11. 22.

s; ut Salomon, interprete
:ſtero penes Caſſianum, *Caſſian. Coll.14. c.16.*
onet in Proverbiis.
Quot ſunt indicia apti ad
›quentiam ingenii?
Quinque. Primum, fu-
r Oratorius, quem qui ſo-
Poetis tribuunt, vehemen-
r errant. Ex quo naſcitur
s illa concipiendarum ima-
num, & frequens illa com-
otio, quâ excelluiſſe Fa-
um Quintilianum affirmat
ngelus Politianus. Secun-
ım, gravis quædam acri-
ıonia ingenii, qui enim tan-
ım in miſerationibus excel-
ınt, & nihil habent iracun-
ię facilè in motus muliebres
egenerant, qui non ſatis ora-
oriam gravitatem decent.
'ertiùm, naturalis quædam
acundia, candor, elegantia,
luâ multi à puero cernuntur
micare; in explicandis animi
ſen-

ſenſibus tàm arguti, expediti, uberes; cum mira vocis ſuavitate, atque actionis decoro. Quartum, memoriæ vis & fœcunditas; quam, ob ejus neceſſitatem, Eloquentiæ partem conſtituerunt, ut infra videre erit. Et ita eſt profectò. Muſæ illæ, diſciplinarum omnium auſpices, cùm à Jove in hanc lucem eſſent editæ, lactæ Junonis creſcere, & innutriri minimè potuerunt; inventa eſt illis nutrix Mnemoſyne, quam nos memoriam appellamus. Hæc autem Jovis partum ſuis ulnis excepit, fovit, aluit, fœcundavit. Quintum eſt Judicium, ſine quo qui uberem memoriam nactus eſt, perinde ſe habet, ac ſi grandem apothecam poſſideat ſine vino, latiſſimum horreum ſine frumẽto. Judicium eſt amuſſis, &

nor-

norma mentis, rationis ſcilicèt approbatio, quę poſtquam in veri inveſtigatione laboravit, tùm judicium, quaſi cenſor, quid aptum ſit, circumſpicit, quid ex quove naſcatur, quid cuique ſit conſequens, quid alienum, quid repugnans, &c. Ingenium tamen (hoc unum moneo) debet ſtudio & exercitatione eloquentiæ excoli, uti mos erat apud veteres illos, qui ut ingenii vires acuerent, vèl in ſummo honorum apice, fermè quotidie declamabant. Vide Quintilianum lib. 12. c.5. Senecam lib. de Beneficiis, & Alexandrum ab Alexandro Genialium Dierum lib.5. cap.24.



Quot ſunt cauſæ corruptæ Eloquentiæ?

Quatuor. [Deficit eloquentia, ait Tacitus, ab illa ve- *Tacit.*

vetere gloria, non inopiâ hominum, sed desidiâ juventutis, & negligentiâ parentum, & inscientiâ præcipientium, & oblivione moris antiqui.

Quæ est imitationis necessitas?

Ea est, ut cùm tota penè scena humanæ vitæ plena sit imitatione, atque imaginibus, in stylo non ignobilem obtineat locum. Quid enim sine imitatione contingit? Quid ex aliorum ingeniis nõ expressum? Quid ab his non est ductum fontibus? Qui primum ex æternæ mentis sinu profluentes, latissimè in res opesque humanas redundarunt. Unde patet amplissima ad orationis gravitatem via, per magnorum Oratorum, & Poetarum imitationem. Dixi (magnorum) nam prudentis & cordati viri est magnâ men-

mensurâ stylum suum metiri, atque ad excellentium in hac dicendi scientia virorum sese imitationem componere. Præstat enim secundas iuter homines magnos & locupletes ferre, quàm primas inter pauperes & abjectos; sicuti majoris utiq; gloriæ est paululùm infra aquilam, quàm supra humiles alaudas volitare.

Quænam sunt vitia pravæ imitationis?

Hęc. Primum eorum est, qui in ipso limine offendunt, & exemplaria sibi proponunt imitanda ex se vitiosa, quibus deinde cùm privatos errores adstruant, nova subinde monstra pariunt. Secundum est eorum, qui bonos quidem imitantur, sed tam accuratè, ut totos penè describant. Ita Apuleius imitatus fuit Lu-

cianum. Tertium est eorum, qui si unam, aut alteram Ciceronis orationem legerint, ad eam omnia quæ tractabunt, argumenta referent, & multùm sudabunt, ut alienissimos sensus intrudant. Ad summum, extendent, decurtabunt, & quidlibet potius facient, quàm ab hac imitationis pravitate recedant. Quartum est puerile, & eorum, qui de imitatione sensuum, quos satis non intelligunt, parum curant, sed toti in angustias verborum conjecti maximè cavent, nè minima vocula extra Authorem, quem sibi imitandum sumpserunt, excidat. Ii sunt qui ab Horatio [servum pecus] appellantur. Discant verba rebus, non res verbis subjicere. Quintum est eorum, qui ut spirant ubique styli amplitudinem,

quam ſatis ſincerè non capiunt, bonos & ad decorum perſonarum prudenter accomodatos Veterũ ſenſus, quòd nimis mediocres videantur, exceſſu quodam augent, donec in κακοζηλίαν incidunt. Ita Lucanus imitari contendens vel ſuperare Virgilium in deſctiptione tempeſtatis primo Æneidos. Sextum eſt eorum, qui depravant bonos ſenſus defectu ingenii vel ſtyli. Septimum tandem eorum eſt, cujus meminit Seneca, quibus ſi fortè aliquid in iis, quos imitantur, Authoribus, arriſit vehementius, hoc tam crebrò uſurpant, ut nihil ſit frequentius.

Sunt ne imitandi multi?

Eximius ille Theologorum apex D. Thomas Aquinas, interrogatus, quo pacto quis doctus evadere poſſet? *D. Thomas.*

Respondit, si uno dumtaxat uteretur libro: & variorum librorum lectionem cōdemnat disertè. L. Annæus Seneca: [certis, inquit, ingeniis immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquā est qui ubiq; est].

Seneca.

Novi ne, aut veteres sunt imitandi?

Veteres, cùm ii novis non solâ opinionis temeritate præferantur, sed etiam meritis, omninò sunt imitandi. Neque verò hoc à me ita dictum velim, ut omnes continuò novos Authores repudiandos putem. Sunt enim multi vèl supra Veteres eximii. Sed in evolvendis antiquis teritur via securior.

Quomodò imitandum?

Ut perfectè imitemur, tria in Authoribus spectanda

sunt:

ſunt: Inventio, diſpoſitio, & elocutio. Sed & priùs intelligenda ſunt, quàm in imitationem traducantur. Quo fit, ut Rhetores ignavi, parùm in imitatione & judicio proficiant, quod locorum, enthymematum, & figurarum imperiti, locutiones tantùm & verba congerant.

SECTIO IV.

Ad Inventionem ſpectantia, ejuſque loca.

Quid eſt Inventio?

Reſpondet Caſſiodorus, [eſt excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddunt.] *De Rhet. cap. 2.*

Quid Oratori, præſertim Chriſtiano cavendum eſt in Argumentorum, quæ vulgò

Assumpta penès Hispanos vocantur, Inventione?

Nimirùm, nè in delectu Propositionum, quas probandas assumit, eas eligat, quæ magis habent novitatis, quàm veritatis, quæque plus aures offendunt quàm corda sanctè compungant: neve in laude Sanctorum nimis exuberans, modestiæ decorique fines transiliat. Quibusdam jejuna videtur oratio, quam de rebus gestis Divorum instituunt, nisi mentiri eis liceat in Panegyrico, nec fas sit sus deque miscere omnia. Eò namq; illorum eloquentiæ præceps excrevit alluvio, ut nisi cælum petat, occupetque Dei sedem cum Lucifero, depressum abs se putent, quem dilaudant. Nemo justorum non Michael est. Quid Angelos commemoro?

ro? Triadem stultitiâ petunt, nobilis ajebat Ecclesiastes, & nisi modum adinveniant, quo Æterno Genitori ęquent eum de quo loquuntur, putant se tarditatis & inscitiæ insimulatum iri. Quid est Ivo pauperum advocatus, & pupillorum, viduarumque susceptor? Reponunt inflatis buccis: rem novam, & à sæculo nunquam auditam accipite, Auditores: Est Christus Jesus, quem ut *Advocatum apud Patrem*, salutavit Joannes; imò quid Christo ipso etiam sublimius. Ecquid Josephum Mariæ Virum esse dices? Grandius sanè Immortali Parente prodigium. Illum siquidem genuisse oportuit, ut Pater diceretur; hic verò cùm nunquam genuerit, Pater est Servatoris. Quæ ista Hypostaseon prodrgentia?

1. *Joan.* 2. 1.

 tia?

tia? Quodve immane iſtud è roſtris congiarium, quo Numinis attributa, communicari neſcia, erogantur, diſpertiunturq; in vulgus? Nullus ergò referri in Divos poteſt, niſi in Deum effingatur? Aut admoveri nefas eſt Aris eum, qui Triadem adventu ſuo non effecerit quadripartitam? Audi Moſis laudes pangentem Eccleſiaſticum. *Dilectus Deo*, inquit, *& hominibus Moyſes. Similem illum fecit in gloria Sanctorum*. Non feliciorem Deo, ſed Sanctis parem, imò non parem dixit, ſed ſimilem. Ecquis inter ſuperioris ætatis Heroas major Moſe? Imò quis eo non minor? Cui mare ceſſit, cui cælum paruit, cui Numen affulſit. Attamen antiquitatis ea fuit apud Siracidem reverentia, ut Virum à Deo in

Eccl.45.1.

Deum

Deum Regis designatum, non Deo parem, sed Patriarchis similem tantùm scripserit, etiam cùm ejus evulgatura esset res gestas præclarissimè. Quid, quod & à Deo Deum dici, appellarique Mosen inaudio, quem tamen ab Hebræis non Numen, sed servum Numinis stupeo nuncupatum? *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, ait Dominus. Exod. 7. 1. A quo profectò descivit, qui Prophetæ tumulo non aliam epigraphen insculpsit, quàm: *Mortuus est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab.* Deuter. 34. 5. Viden quàm meticulosè in sui Prophetæ laudes Synagoga effuderit sese? Famulum dicit, quē sciebat à Domino Deum nuncupatum. Et nos incommunicabile Dei nomen & numen, non modò cuivis Sanctorum audacter adscri-

bimus, verùm nos penè piget uni tantùm Personarum divinarum Virum unum comparasse, nisi unum universis Divinitatis hypostasibus exęquemus: quamque Cælites in tribus Personis expavent Majestatem, nos exundantiã illam interminæ magnitudinis, uno conclusam sub Sole, pectore coercemus. Apage, scrutator, & consarcinator Trinitatis. Ergò ne laudari Heros non potest, quin similis fiat Altissimo, non Satan, sed Joseph? An putas sine stomacho coæquatum se Verbo Joannem pati, qui ejus se non dignum exsolvendo subligamini profitetur? Forsitan Dei Verbum inter nos nescivit loqui? At ipsum in sui Baptistæ, & Præconis effusum laudes, non liberè, sed mirâ quadam vo-

cis modestiâ, ait: *& si vultis recipere, ipse est Elias.* Non ait: Joannes spiritus Dei est, sed Elias est. Imò cùm eum non Mosen, sed Eliam dixerit, viventi viventem contulit, non è vivis erepto, mortisque victori. Cæno latex inficitur, quoties suas ripas excesserit: & laus sordescit, si, transgressa modestiæ alveum, excurrerit in hyperbolem. Fucos fastidimus in fæminis, probrumque est, si Domitiano blandiare. Et licere adulationem putas in Sanctos; quasque odisse nos decet in Regiis blanditias, assentationesque, eas in Templis consectabimur? Parcamus, rogo, si non nobis, Divis saltem, qui *diligunt veritatem, adorantque Deum in spiritu & veritate.* Alioquin, si iis impurissimè adulemur, *Matth. 11. 14.*

ve-

vereor, nè ita à nobis alienis phaleris circumlati Sancti, illud sibi opprobrari timeant, quod Scutario Totilę objecit Benedictus Monachorũ Antesignanus in Occidente. Cujus ut prophetandi spiritum experiretur Princeps, regiis intectum ornamentis armigerum, quasi Regem, præmisit. Quem, ut aspexit Abbas, irrisit, monuitque, ut chlamydem non suam exueret. Num ita implumes sunt Sancti, ut nisi furtivis plumescant tum cristis, tum alis, reptare dumtaxat queãt? Suo abũdè instructi sunt succo; nec alienis indigent pigmentis, ut fulgeant. Pudicissimus Joseph est; sed Vir est, non Verbum Patris: Mariæ Sponsus, sed non Verbi Pater. Zelatur Ignatius de Loyola Parens meus Optimus,

mus, non tamen aut homo esse desiit, aut in Spiritum Dei sanctum reformatus est. Cupio abs te laudari Justos; sed nollem ita Dei Turtures & Columbas convestiri, ut ludibrio eas, plumarum adventitio nitore, opponas, exponasque derisui. Fuit interdum, qui sic effrænis in præconium Beati Mauri effluxit; ut eum non Petro similem, sed Spiritui Sancto pronunciaverit supparem. Ut enim olim *spiritus Domini ferebatur super aquas*, ita undis Maurus innatuit in lacu. Hęc audiens effutiri cordatus Vir, intra se tunc se locutum asseruit; superest modò, ut Spiritui Sancto par quoque esse affirmet hic deridiculus Encomiastes, tum suber, tum verò etiam cucurbitam, & caput suum ipsâ cucurbitâ levius. En vides,

Gen. 1. 2.

des, quomodò exuperantia laudis, dū ex homine Deum fingit, facit ſuber è Mauro, è ſanctiſſimo ac integerrimo Monacho Corticem deſpicabilem. Sat laudis inveniſti, quâ Maurum extolleres, ſi eum ſanctitate morum, obedientiæ præſtantiâ, charitatis ardore viciſſe elementa, æquaſſe quoad hoc Apoſtolorum Principem dixeris, Primogenitum, tot in Filiis S. Benedicti. Reliqua mergunt Maurum in ſtagno, non ſuſtollunt in cælum. Peræ grè tulit Olympia, Alexandrum Jovis Filium appellari. Nobilitate enim generis, & Spurium illum, & ſe Draconis pellicem intelligebat. Ita ſanè is, quem parem Altiſſimo feceris, non Deum eſſe eviceris, ſed Luciferum. Nolo quidem Orationis argumen-
tum

tum esse jejunum, damno solùm si appareat ebrium? Ingeniosum sit, & insperatæ novitatis circumornetur splẽdore, sed à veritate nè latum quidem ũguem abscedat. Vèl propositio aliòquin trita, & vulgaris sic enunciari potest, ut in sui admirationem etiã sapientes adducat; quemadmodum in sua verè aurea Ariadne Rhetorum ostendit Aloysius Juglares. Sancti nativo micant decore, abundèque illos efferes, si suum eis colorem, quò ad vivum expinguntur, inveneris; uti luculentis testimoniis ac exemplis, nobis exploratum faciũt qui solidam inveniendi scientiam calluerunt. Novissimè, ut cætera sacrorum Oratorum lumina impræsentiam præteream, prodierunt in lucem, penès Lusitanos, Oratio-

tiones Panegyricæ R.P.Francisci de Mattos qui nunc supremum Magistratum inter nostros in Brasilia Socios pari religione ac prudentia gerit. In his ingenium Authoris judicio cõjunctum passim demiramur; sed præcipuè in excogitandis & feliciter prosequendis argumentis, quorum inventione studet augere, citra omnem assentationis fucum, honestamenta, decoraque Sanctorum, quos exornandos aggreditur. Quid sanè sublimius investigari unquam possit, quàm videre hominem, qui quò Christum generosè sequeretur, mundum pro Christo reliquit, antequam mundum possideret? Et hunc tantum, talemque virum perpulchris & solidis rationibus tum è sacra, tum è profana eruditione,
de-

deductis, probavit non alium fuisse, quàm magnum illum monasticæ disciplinæ Instauratorem Benedictum; quippe qui maternis adhuc clausus visceribus auditus fuit cum sorore sua Scholastica clarè & syllabatim *cantare Domino canticum laudis*; quasi splendidum Epinicion, quo relatæ de mundo à se abdicato victoriç gaudium contestaretur. Quid etiam singularius, quidque simul verius, quàm id quod prælaudatus Pater celebrandum assumit in Optimo Conditore Nostro Ignatio, dum præ reliquis Christianis, qui, teste Paulo, *vocati sunt in Societatem Jesu Christi* modestè asserit præfatum Ignatium dici debere antonomasticè Virum Societatis Jesu; sicut, inter omnes qui prophetiæ fulgoribus, Apostolatûs glo-

Simoneta lib. 4. ep. 20. Gerardus Belga in medit. Jepex cent. 1.

1. Cor. 1. 9.

riâ,

riâ, aut ſpecialis amoris prærogativâ ſplenduerunt, Propheta, Apoſtolus, & Dilectus, ſine ullo alio addito, denotant, & indigitant Davidem; Paulum, & Joannem. En Rhetoricæ Inventionis modos, quibus hic Author mirè Cœlo Divos laudibus infert,
Iſa. 48. 11. nunquam audēs Dei nomen, & *gloriam*, *Nemini dandam*, eorum ulli violenter obtrudere; ſcitè arbitratus, Hyperbolum granditate, non creſcere, ſed diminui Heroum Illuſtriſſima aliòquin Promerita. Hæc prolixiùs aliquantò dixi, ut quanti item momenti ſit prudens, & recta argumentorum invētio, præmonerem.

Eſt ne neceſſe cognoſcere quæſtionem tractandam?

Utique: in oratione namque ſcribenda, primùm accura-

curatam habere oportet quæſtionis tractandæ cognitionem, ex eo ſiquidem derivari omnem vim & efficacitatem ſermonis experimur. Quod ſi metam ob oculos perſpicias, cave, ne nimio dicendi deſiderio prægeſtiens, longos ames circuitus, recitans ab ovo uſque ad mala. Nil enim tam vitandum, quàm prolixitas: vitium utplurimùm adoleſcentum, qui, ut fert rerum ſplendidarum novitas, tantam capiunt in dicendo voluptatem, ut quieſcere nullo modo poſſint; digreſſiones etiam faciunt, & frigidas tranſitiones, quibus miſeras enecant aures; &, ſi advertas, invenies eos tùm primùm de re incipientes dicere, cùm oporteret deſiiſſe: quia putant ſe iiſdem auribus audiri ab omnibus, quo fer-
voris

voris impetu dicunt. Hoc etiam prolixitatis vitium tangit interdum & doctos, sed confusos plerùmque & morosos homines, qui nunquam sibi satisfaciunt, nisi quicquid mente conceperint, id totum in turbæ circumstantis aures effuderint. Magnum proculdubio vitium; & haud scio, an ullum sit in Oratore, quod magis auditorum animos deterreat; ut egometipse proprio experimento edoctus sum. Paucos admodum invenias, de quibus illud Elogium dicatur, quod tribuit Seneca Cassio Severo: [timebant, ne desineret.]

Senec. l. 3. contr. in Præf.

Quænam est Inventionis, & Eloquentiæ nutrix?

Eruditio varia, ex qua omnem Eloquentiam crescere, fœcundarique oportet. Neque enim perfectus Orator

tor esse potest qui non omnium rerum, cognitione atque intelligentiâ dignissimarum pectus cõpleverit suum. Tolle eruditionem à dicendi facultate, Επιφυννίδες ταυ τ'εστὶ σωμύλματα, quid aliud erit, quàm loquentia puerilis? Quàm arbor foliorum luxurie vestita, sed fructûs expers? Doctæ igitur debent esse orationes, & cum temperie eruditæ, præsertim si sint intra generis judicialis subsellia. Si verò orationes sint epidicticæ, uberior debet esse eruditio, & elocutio suavior.

Quinam primus Inventionis fons?

Historia; quæ est veluti Eloquentiæ horreum, præsertim, si è sua origine repetatur. Quanti verò sit historiarum lectio ab Oratore facienda, satis superque demonstrat

ſtrat illud à pleriſque laudatum ex Gregorio Nazianzeno ad Nicobullum patrem, filii nomine: *Naz.*

[Hiſtoriâ plenum pectus, pulcherrima res eſt. Namque ea multorum mens eſt, ea magnus acervus eſt Sophiæ.]

Livius. Perbelle Livius initio libri primi, Hiſtoriarum lectionem commendans: [Hoc illud eſt, inquit, in cognitione rerum pręcipuè ſalubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta, in illuſtri poſita monumento intueri; ut inde tibi, tuæque Reipub., quod imitêre, capias; inde fœdum incæptu, fœdum exitu, quod vites.] Similiter Baſilius Imperator in capitibus parænеticis ad Leonem filium, eum admonet in hunc modum. [Per veterum hiſto- *Baſil. Imper. c. 56.*

hiſtorias ire ne recuſes. Ibi enim reperies ſine labore,quę alii cum labore collegerunt: Et quæ illhinc haurias, & bonorum virtutes, & improborum vitia: varias humanæ vitæ mutationes, & rerum in ea converſiones; mundi huius inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus. Et, ıt verbo complectar omnia, nalorum facinorum pœnas, k præmia bonorum: quoıiam illa fugies, ne in divinæ ıſtitiæ manus incidas; hæc mplecteris, ut præmiis, quæ ı comitantur, potiaris.] ɩdſtipulatur incertus Author bri Sapientiæ cap.8.verbis ils: *Si multitudinem ſcientiæ deıerat quis, ſcit præterita.* Quo co *multitudo ſcientiæ*, ut pe:iſſimi Interpretum expoınt, & eleganter ibi Cantazenus, multam experien-

tiam, vitæ nostræ magistram, designat: quæ quàm sit cordato Oratori necessaria, nemo non videt.

Quinam Historiarum usus?

Is est, ut non satis sit Historias legere, & colligere, sed appositè distribuere; ex probatis Authoribus desumere, & de nostris temporibus aliquas etiam tangere. Quæ omnes, si notæ sint, per congeriem sunt vibrandæ.

Quinam secundus Inventionis fons?

Fabula, & Parabola, præsertim si oratio sit profana, & non sacra. Quarum usus debet esse moderatus, & non nimis facetus. Et quidem, quod attinet ad fabulam, & Apologum, lippis patet ac tonsoribus, olim Ethicam doceri solitam per fabulas & Apologos ad mo-

res

res, appositos. Id præsertim liquet ex Baruch Propheta; qui priscos fabulatores, ideſt, fabularum concinnatores, vocat *exquiſitores prudentiæ*. Unde Apologis usi sunt Orphæus, Pythagoras, Menander, Apulejus, Homerus, Hesiodus, (quem Fab. Quintilianus, ubi Apologis gratiam inesse docet, primum facit Apologorum Authorem) Plato lib. 2. de Republ. Demosthenes, Macrobius lib. 1. de somnio Scipionis post initium, Horatius, Gellius, Cicero lib. 3. Offic. de Gygis annulo. Hinc Ariſtoteles lib. 2. Rhetoric., apologos ponit inter Rhetoricas demonſtrationes. Aphthonius initio Progymnasm. [Apologi, ait, delectant vehementiùs, & persuadent efficaciùs:] delectant, quia morum facetâ

Baruch. 3.23.

Quintil. l.5.c.11.

Aphthon

quâdam imitatione simplicium capiunt animos: fidem faciunt, quia verum quasi ante oculos ponunt: ideòque magnam vim habent ad promovēdum & persuadendum.
Apollon. Apollonius Tyanæus apud Philostratum lib. 5.; [ego, inquit, Æsopi fabulas ad sapientiam accomodatiores, quàm cæterorum, esse censeo: quas à Mercurio docet acceptas, Æsopumque in numero Sapientum habitum: unde illud Aristophanis in Avibus, vetus adagium, quod citat Suidas, [Ne Æsopum quidem trivisti,] dici solitum de homine planè rudi & imperito, quòd qui Æsopi Apologos nesciret, nil scire videretur.
Plutar. Præclarè Plutarchus in moral., [sicut Iris, ait, nil est, nisi relucentia solis refracti in nubibus; ita fabula,

la, quædam eſt veri repreſentatio.] Rursùm Ariſtoteles lib.2. Rhetor. c.21., [Apologi, ſcribit, ad populum maximè accomodati ſunt, habentque hanc præſtantiam, (præ exemplis) quòd cum difficile ſit res preteritas ſimiles adinvenire, apologos fingere eſt facillimum.] Quos ex rebus naturalibus, & animalibus, quaſi ex vivis imaginibus petere licet, unde, ideam humanæ vitæ virtutibus omnibus adornatæ facili negotio percipimus. Ad hoc enim Deus illa creavit, ut homini eſſent ſpeculum rectè vivendi. Totus ſiquidem mundus hic viſibilis homini quaſi quædam ſchola Sapientiæ eſt, in qua divinis prudentiæ rationibus plena ſunt omnia. Imò ex iis, per feſtivos rerum apologos, documenta *Ariſt.*

vitæ Sacra Scriptura collegit, ut lector ea intelligat clariùs, addiſcat faciliùs, guſtet ſuaviùs, reminiſcatur tenaciùs.
Eccli.13 3.& 21. Sic apud Siracidem, præter alia, legimus: *Quid communicabit cacabus ad ollam? Quando enim ſe colliſerint, confringetur -- Si communicabit lupus cum agno &c.* Notus item eſt apologus olivæ, ficûs, vitis, & rhamni, Judic.9.8. Cardui & Cedri, 4. Reg.4.9. Lupi & Agni, pardi & hædi, Leonis & Ovis, Vituli & Urſi, Iſa.11.6.; Leænæ & leunculorum, Ezech.19.; Oollæ, & Oolibæ mulierum, Ezech.23.; Aquilarum duarum ingentium, Ezech.17.; Luciferi, Iſa.14.12. Cherubinorum, Ezech.1.; Amphoræ, in qua ſedet impietas, Zach.5. & plures alii hiſce perſimiles. Idem faciunt S. Baſilius & S. Ambroſius
in

in Hexam, S. Epiphanius in Physiologo. Theodoretus de Providentia, & S. Cyrillus libris quatuor Apologorum moralium; qui reperti sunt in Bibliotheca Budensi, redolentque acumen, leporem gravitate mixtum, variamque eruditionem ac pietatem S. Cyrilli Alexandrini; stylus tamen magis latinam, quàm græcam elegantiam sapit; præsertim in acutis argutisque anthitesis, & homioptotis, quibus crebrò rem probat, & adversarium urget, conficitque. Unde Cyrillus hic, Latinus potiùs, quàm Græcus fuisse videtur, ac D. Cyrillo Alexandrino ætate posterior, utpote crebrò citans Aristotelem, & Hippocratem; cùm S. Cyrillus, cæterique Patres Platonici magis fuerint, quã Aristotelici. Quod verò spe-

ctat, ad Parabolam, hæc à Donato definitur esse rerum genere dissimilium comparatio. Sic Proverbia Salomonis nuncupantur à Latino Interprete græcâ voce Parabolæ à παραβάλλω, ideſt, aſſimilo, comparo. Facilem tamen, planum, & vulgatum loquendi modum ſuperant, ac ſæpè aliquid parabolici, ideſt, aliquam ſimilitudinem, comparationem, alluſionem, metaphoram, allegoriam, ſimilemve figuram continent. Hinc & vocantur Proverbia; quaſi verba procul petita, putà ab antiquitate, vel re arcana, è cœlo acceptâ. Quocirca Dion Chryſoſtomus Proverbia vocat cana verba: Sicut enim ſenectus homini, ſic & Proverbiis affert ſuam authoritatē & pondus. Quantæ verò ſint utilitatis hujuſmodi

modi Parabolæ & Proverbia ſignificat Salomon hac gnome: *Verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit*: quæ eſt quaſi coronis & clauſula; quâ, veluti quodam Epiphonemate cõcludit vigeſimumnonum caput ſuorum Proverbiorum: quaſi diceret quicumque hæc mea Parabolarum verba mente cuſtodierit, ut eas opere exerceat, &, juxta eas, omnes ſuos actus componat, & dirigat, hic evadet perditionem, &c. Et id præſertim in cauſa fuit; cur Pernambuci in Braſilia degens, olim ſuſceperim Provinciam explicandi pro concione forenſi Parabolas Salomonis unà cum Proverbiis Luſitanis: quod plures annos egi; utinam pro dignitate, & ad majorem Auditorum profectum.

Prov. 29 27.

Quinam tertius inventionis fons ?.

Sunt adagia, quæ rerum exprimunt similitudines. Quorum usus est fere idem ac fabulæ & Parabolæ. Adverte tamen, quòd quamvis Paræmia sive Adagium, cum Parabola conveniat, quatenus similitudinem rei veræ, sive gestæ cum gerendis confert; distinguitur nihilominus, quia non tàm per modum narrationis, quàm per modum brevis sententiæ, & ut plurimùm figuratè ac obscurè, quod vult indicatum, proponit: itaut quodammodò sit brevis & epiphonematica parabola. Uno verbo: Parabola proponitur more narrationis longioris; adagium, ut breve & usu tritum vulgare documentum. Hinc lux affulget aliqua cali-

gi-

ginoſo Ezechielis loco c. 18. v. 2., qui in Hebræo ſermone vix intelligi poteſt, & hominem alioqui eruditum feſellit; ut putaret ibi Parabolam cum Paræmia ſeu Adagio confundi; cùm ex noſtro Interprete manifeſtum fiat, accuratè illa Prophetam diſtinxiſſe. *Quid eſt, quod inter vos Parabolam vertitis in Proverbium iſtud in terra Iſrael, dicentes, Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt?* Nam initio tantùm fuit Parabola, quâ ſignificabatur, poſteros immeritò luere delicta majorum ſuorum: ſed poſtea Parabolam hanc crebrò & paſſim domi, foriſque uſurpando, & vulgari ſermone iterando, terendoque, adagium fecerunt. Adagiorum verò utilitas magna eſt; quoniam brevitate Ezech. 18. 2.

memoriam adjuvant; & obſcuritate diligentiam acuunt; alliciunt lepore & verborum ornatu, ſensûs acumine, ſententię gravitate, & commodâ morum informatione, ſine faſtidio aut periculo, veram animæ ſapientiam infundunt. Ab omni ævo hæc paræmialis inſtitutio ſummo ſemper in pretio habita apud eos, qui ipſi apud reliquos in honore fuerunt. Nam de Adagiis Chryſippus, Cleanthes, Clearchus, Ariſtides, & Ariſtoteles olìm multis voluminibus diſſeruerunt: locutionibus figuratis univerſa antiquitùs morum diſciplina comprehendebatur: in Europa Pythagoræorum, in Aſia & Africa Ægyptiorum, Chaldæorum, Brachmanum, & Gymnoſophiſtarum. Veſtigia in Ori Apollinis Hiero-

glyphicis, Stobęi collectaneis, Triſmegiſti libris, & Zoroaſtris magicis oraculis ſuperſunt : Sed mitto profanos. Quid divinis Scriptoribus παροιμιωδέστερον; ludit ſed feriò, tot aureis adagiis Jobus cum amicis cap. 17. Utitur Balaam prophetans Num. 23., & Moyſes paſſim in Pentateucho. David etiam, Salomon, Iſaias, Ezechiel, & cæteri Prophetæ longè ornatiùs, quàm ulli Græci, Latinive: & graviter, atque frequenter Apoſtoli; & frequentiùs, atque graviùs ipſe Dominus & Magiſter Prophetarum, atque Apoſtolorum Chriſtus JESUS. Denique periti rerum hujuſmodi ſemper efficaciſſimam Vim Adagiis ad perſuadendum ineſſe cēſuerunt. Præ cunctis teſtimonio Ariſtotelis ſtet hoc verbum. Is

apud

apud Synesium existimat, nihil aliud esse Paræmiam, *Arist.* seu Adagium, quàm [reliquias illius veteris Philosophiæ, maximis humanarum rerum cladibus extinctæ; easque servatas esse partim ob compendium brevitatemq;, partim ob festivitatem & leporem: ideòque nec segniter, nec oscitanter, sed pressiùs, atque penitiùs inspiciendas: subesse enim velut igniculos quosdam vetustæ sapientiæ; quæ in pervestiganda veritate multò fuerit perspicacior, quàm posteriores philosophi fuerunt.] Videsis Fab. Quintilianum lib. 5. Institutionum; & Plutarchum in libro [quomodò sint audiendi Poetæ.]

Quinam quartus Inventionis fons?

Hieroglyphica, & Symbola, quæ amœnam habent eru-

eruditionem; modò prudenter & parcè, ut cætera adhibeantur. His utebantur Ægyptiorum ſapientiſſimi, vice literarum, ut iis docerent Sapientiam ſuam, ad ejuſque ſtudium excitarent capaces; rudes verò & incapaces eam celarent. Cùm verò ſint imagines ſeu figuræ, determinatę ex hominum arbitrio ad ſignificandum aliquid; ſunt etiam, quod inde fit, mera hominum commenta; & ipſis deeſt vis ea major ad perſuadendum, quàm in heroicis ſymbolis requiritur. Prętcrquam quod vim etiam exponendi conſilium Authoris, quoniam ut plurimùm obſcura ſunt, obtinere interdum non videntur.

Quinam quintus Inventionis fons?

Emblemata, quæ in eo cum

cum Hieroglyphicis conveniunt, quod ſymbolorum naturam induant; differunt verò, quòd rem, ſublatis ænigmatum velis, puriùs liquidiùſque proponant: ex quibus plerùmque lepida & ſuavis affluit eruditio, ſi eorum haud nimius ſit uſus. Emblema namque ſic à peritioribus circumſcribitur; ut ſit ſymbolum ingenioſum, ſuave, ac moratum; conſtans ex pictura, & brevi carmine, ac ſententiam aliquam graviorem complectens. Ejus itaque partes erunt Pictura & breve carmen. Lemma autem quod Andreas Alciatus Vir eruditiſſimus ei ſæpenumerò ſuperſcripſit, ſatis conſtat, partem ejus non cenſeri, ſed omitti poſſe. Ita Epigrammatis pars non erant inſcriptiones, de quibus Martialis: Lem-

Mart. l. 14. epig. 3.

Lemmata, si quæris, cur
sint adscripta, docebo,
Ut, si malueris, lemmata
sola legas.

Pictura & metrum in hoc genere Poeseos usurpantur ideò, ut quoniam pars videtur ejus Philosophiæ, quæ ad mores pertinet, continetque semper admonitionem aliquam (admonitio enim est morum medicina) condiatur picturæ, ac metri suavitatibus, atque deliciis, quo ita sine nausea ab ęgro animo accipiatur: Pharmacum propinat quis in scypho aureo, nemusculis, leunculis, geniolis instructo: hic ornatus in Emblemate pictura est. Dein scyphi ejusdem labro suo cum addit dulcem & suavem, ut castiget infusam amaritiem: hoc in eo est metri suavitas, & dulcedo carmi-

minis: & hoc pacto admonitio, quæ est ut plurimùm tristis & inamæna, propinabitur sapientiùs, servabiturque illud: Et prodesse volunt, & delectare Poetæ.

Hor. de arte Poetica,

Quinam sextus Inventionis fons?

Testimonia Veterum, quæ inter argumenta remota plurimum obtinent dignitatis; si modò ab Authoribus fide dignis, iisque gravibus, & eruditis emanarint.

Quinam septimus inventionis fons?

Dicta gravia, & sententiosa; ut, Deus meliùs scitur nesciendo: Et illud Augustini: [Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.]

Quinam octavus Inventionis fons?

Leges, sine quibus, ut cor-

corpora ſine mente, ſic Civitates ſuis partibus, ut nervis, ſanguine, & membris uti non poſſunt. Atque ut magna eſt legum excellentia, & majeſtas; ſic etiam Juriſprudentia, quæ eaſdem tractandas ſuſcepit, ſapientiæ ſeminarium eſt, & omnis prudentiæ officina. Hæc mores hominum dirigit & componit; utque faciliùs id aſſequatur, ex ethica ſua petit principia, ut à Phyſicâ ſua petit Medicus. Neque enim Imperatorum nudâ authoritate firmaveris leges, niſi & ipſam authoritatem, juſtitiâ ejuſque principiis ſubnixam doceas. Id ad oculum videremus, ſi veteres juris codices extarēt, nec eos magno Reipub. damno concremaſſent illi, qui ex eis Juſtinianæas Pandectas conflarunt. Quare adeò Juriſ-

risprudentia Ethicæ innixa est & connexa, ut illi planè subalterna, ex ejus principiis, velut fontibus, scita sua & leges, velut rivulos, educat. Sic, Ethicus præscribit, scelus vindicandum; Jurisconsultus hanc regulam ad certam pœnam revocat: Ethicus ponit legem, ut parentes curent filios; Jurisconsultus mulctat eum, qui filii non vult esse curator: Ethicus justitiam commutantem ponit mediam inter lucrum & damnum; Jurisconsultus ex hoc notionis fonte conventiones justas, mutuum, commodatum, depositum, pignus, emptionem, venditionem, locationem, conductionem, tanquam fluvios deducit: Ethicus edisserit, summum jus esse summam injuriam; Jurisconsultus ad hu-

hujus præcepti normam temperat legem, ne ſanguine pictur mors, quam amico infers invitus: Ethicus docet, æquitatem non eſſe contrariam juri, ſed jure meliorem; dum, quod tacet jus, æquitas loquitur; Juriſconſultus hinc colligit nihil facere contra legem non occidendi, qui majeſtaits violatæ reis pœnam irrogat ſecuribus. Ethica tandem eſt quædam naturæ theſis, & hujus theſeos Juriſprudentia eſt hypotheſis. In quam ſententiā videtur iviſſe pedibus Ulpianus, dum L. jus civile ff. de juſtitia & jure, poſt pulchram de jure civili diſputationem, uberi filo pertextam, tandem ſtatuit, jus civile eſſe juris naturalis, ideſt, moralis Philoſophiæ quandam moderationem. Hinc intelliges, quanta & quàm *Ulpian.*

quàm utilia possit Christianus Orator ex ipsis humanarum legum oraculis, & opulentissimis thesauris in auditores suos depromere.

Quinam nonus Inventionis fons?

Sacræ Literæ. In his tot veræ scientiæ thesauros adipiscimur, quot apices legimus: [tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus; ut modò nuda nos pascat historia; modò sub textu literæ velata medullitùs nos reficiat moralis allegoria; modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans. Ita
Greg. Magnus Gregorius lib. 16. c.19. in Job.; qui addit in Præf. [divinus sermo sacræ scripturæ est fluvius planus
&

& altus, in quo & Agnus ambulet, & Elephas natet.] Quod verò ad ſacræ Scripturæ uſum attinet, Theologorum eſt proprius: hæc eorum hereditas, hic campus, hoc ſtadium: Ut eò igitur inoffenſo pede perveniat, prius ſacrę Theologiæ ſtrenuam in ſcholis navet operam; dein adhibeat bonos Interpretes, qui eum manuducant, vivamq; ſæpè Doctoris vocem audire non renuat, ſi cupiat ejus germanos ſenſus attingere. Cogitet ſibi dictum, quod Hieronymus ſcripſit Paulino, adhortans eum ad Sanctarum Scripturarum lectionem.] O ſi mihi liceret, inquit, iſtiuſmodi ingenium non per Aonios montes, & Heliconis Vertices, ut poetæ canunt, ſed per Sion & Itabyrium & Sina excelſa ducere!

Hier. l. 2 epiſt. ſelect. ep. 14.

re! Si contingeret docere quæ didici, & quasi per manus mysteria tradere Scripturarum! Nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet. Audi ergò, mi conserve, amice, germane, ausculta, quo in Scripturis sanctis calle gradiaris: Totum quòd legimus in divinis libris; nitet quidem, & fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucē. Revela, inquit David, oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas parvulos & penè lactētes inscitiæ nocte circumdari? Hoc autem velamen non solùm in facie Moysi, sed & in Evangelistis, & Apostolis positum est. Turbis

Sal-

Salvator in parabolis loquebatur, & conteſtans myſticum eſſe quod dicebatur, ajebat; qui habet aures audiendi, audiat. Niſi aperta fuerint univerſa quæ ſcripta ſunt ab eo, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit, nullo alio reſerante, pandentur. Si haberes hoc fundamẽtum; imò ſi quaſi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque latinius tuis haberemus voluminibus.] Ut autem Dominus nobis ſenſum omnem ſcripturarum aperiat, neceſſe imprimìs eſt, ut ab eo *qui mitis eſt, & humilis corde*, veram cordis humilitatem addiſcamus. Profunda namque, quæ in iis latent myſteria, *abſcondit Deus à ſa-* Matth. 11. 25.
 pien-

pientibus, & prudentibus, ideſt ſuperbis & ſciolis hujus ſeculi, *& revelat parvulis*. Non dixit, ſtultis, ſed *parvulis*; [ut tumorem ſe damnaſſe innuat, non acumen,] explicat S. Gregorius l. 27. in Job, c.7. [Ubi enim eſt humilitas, ibi & ſapientia;] inquit Paræmiaſtes. Hinc eſt, quod clamat ipſa Sapientia: *Si quis eſt parvulus veniat ad me.* Quod confirmat Beatus Auguſtinus, non iis modo quæ ſupra de ſe teſtatus eſt, ſed & his quæ impræſentiarum adjungit: [non aliam ad capeſſendam, & obtinendam veritatem, & ſacram ſapientiam viam munias, quàm quæ munita eſt ab eo, qui greſſuum noſtrorum, tanquam Deus, videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia

Gregor.

Prov. 11. 2.

Vide ſect. 2.

Aug. ep. 56. ad Dioſcor.

tia humilitas; & quoties interrogares, hoc idem dicerem. Itaque ſicuti Demoſthenes in Eloquentia pronunciationi primas, ſecundas, tertias dedit; ita ego in Chriſti Sapientia primas, ſecundas, tertias dabo humilitati, quam Dominus noſter ut doceret, humiliatus eſt,] naſcens, vivens, moriens.

Quinam decimus Inventionis fons?

Ratio & ſolertia in locis, unde apud Rhetores rationes & argumenta coaleſcunt. Quibus nihil eſt ad Inventionis fœcunditatem uberius, ad diſpoſitionis rationem concinnius, ad memoriæ ſubſidium efficacius. Quamobrem & adoleſcentibus diligenter inculcanda ſunt, & in iis frequenter exercendi; ex quibus ad omnem dicendi

materiam reclusos inventionis fontes commodiùs feliciùsque habeant.

Quid sunt loci communes?

Notæ sunt, & argumentorum sedes; quorum alii sunt interni, alii externi.

Qui sunt interni?

Interni sunt in rei substantia; ut Definitio, Genus, Differentia, Species, partium primariarum enumeratio, conjugata.

Qui sunt externi?

Ii sunt, causa finalis, & efficiens, & effecta: qui tamen sunt cognati, & valde necessarii. Alii enim sunt externi appliciti, ut Notatio, Adjuncta, Contraria, repugnantia, similia, relata, comparata: unde sexdecim loci communes satis noti colliguntur; qui rursùs in alios

dividi

dividi possunt, & argumenta magnis incrementis fæcundare.

Quid est Definitio?

Est viva rei, quam describit, imago, & characterismus; vel, ut Ciceroni placet lib. 1. de Orat. . [Rerum brevis, & circumscripta quædam explicatio.]

Quænam ejus partes?

Genus & Defferentia. Per Genus notiora rei definitæ; per differentiam propria innotescunt; ut, Homo est animal ratione præditum.

Quænam Virtutes Definitionis?

Hæ tres; ut scilicèt sit dilucida, brevis, & propria. Verùm quando intimas rerum formas tantâ obscuritate natura vallavit, humanisque ingeniis abscondit, varios definiendi modos cogimur

indagare nos præsertim Oratores; modò scilicèt definiendo per partes, modò per caussas, modò per effecta, modò per accidentia, modò per similitudinem, modò per negationem, modò per figuras; ut per synonymiam, per definitionem mixtam &c. Quæ omnia valde conducunt ad texendam amplificationem.

Quid est partium enumeratio?

Est rei in singulas partes apta quędam distributio. Partes verò apud Ciceronem duobus modis intelliguntur; sunt enim partes totius, quod in se easdem partes complectitur, ut corpus humeros, brachia, thoracem; sunt & partes generis, quas genus sub se continet; alio modo species & formæ nominantur, ut Prudentia, Justitia, Fortitudo,

tudo, ratione virtutis. Vel ſi mavis, aliæ partes ſunt eſſentiæ, aliæ ſunt integrantes, & accedunt magis ad decus totius, quàm ad compoſitionẽ.

Quid requirit uſus argumenti ab enumeratione partium?

Cautionem & memoriam requirit in Oratore. Cavendum eſt enim, ne in partium collectione minùs ſit accuratus.: quod faciet, ſi aut res neceſſarias omittat, aut addat ſuperfluas, aut diſcrepantes confundat, aut eaſdem bis numeret, & veluti à ſe diſſolvat, atque disjungat. Tum qui propoſitus eſt initio numerus, eſt illi expeditè percurrendus, dandaque opera, ne longiuſcula plerùmque digreſſio ſermonem & mentem à propoſito abripiat. Videas enim aliquot, qui cùm tria

aut quatuor propoſuerunt, ultimi jam non meminerint; aut ſi meminerint, tantum temporis in uno capite pertexendo conterunt; ut ejus quod reſtat, expediendi ſpatium, & facultas non ſuppetat. Uſus itaque argumenti à partium enumeratione ampliſſimus eſt, & per totum corpus eloquentiæ longè latèque diffuſus. Primùm, ad totius orationis œconomiam, mirum in modum valet, &, quaſi Ariadnæ filum, dirigit inſtitutum Sermonem, ne fluctuet in errorum (quod ajunt) Labyrintho. Secundo, promptiſſimum eſt ad laceſſendos Adverſarios telum, ad refellendos idem clypeus fortiſſimus. Tertiò, amplificationis, quæ una virtus maxima eſt, perpetuum veluti quoddam reperietur eſſe ſemina-

minarium. Nam si res graviter narranda, si distribuenda, si oculis plenissimè subjicienda, parum est uno conspectu proponere. At si incipias singulas partes disquirere, discutere, enucleare, tunc vis & amplitudo, quasi ingentis cujusdam fluvii perpetuis undarum vorticibus explicati sese efferet: quod illustribus exemplis comprobare, si tempus pateretur, & Compendii limites sustinerent, nullo negotio possem. Verùm præterire non licet, quæ Lactantius scribit, Dominicæ Crucis acerbitatem, à singularum partium, scilicèt, sauciatorum membrorum cruciatu metricè amplificans: Sic enim Christum Dominũ, hoc pathetico modo loquentem, inducit:

quem etiã Lud. Granaten. refert. lib. 3. Eccles. Rhetor. c. 2.

Vertice ad usq; pedes me

lustra: en aſpice crines
Sanguine cõcretos, & ſan-
guinolentaſub ipſis
Colla comis, ſpiniſque ca-
put crudelibus hauſtum;
Undique diva pluens vivũ
ſuper ora cruorem:
Compreſſos ſpeculare o-
culos, & luce carentes,
Afflictaſque genas: aren-
tem ſuſpice linguam,
Felle venenatam, & pal-
lentes funere vultus.
Cerne manus clavis fixas,
tractoſque lacertos;
Atq; ingens lateri vulnus,
cerne inde fluorem
Sanguineum, foſſoſque
pedes, artuſq; cruentes:
Flecte genu, lignumq; Cru-
cis venerabile adora.

Jo. Chry-ſoſtom. Lactantio non me pęnitet Jo. Chryſoſtomum ſubnectere. Is Homil. 10. in Geneſ. nobilem attexit enumerationem effe-

effectuum, quos parit ventris ingluvies, sic vehementer interrogans: [An non videtis quotidie & sumptuosis mensis, & immodicâ ingluvie, infinita morborum genera induci? Unde podagræ? Unde capitis dolores? Unde corruptorum humorum abundantia? Unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia, & largiore vini ingurgitatione, quam oportet? Nam sicut navis, quæ aquis ita impletur, ut exhauriri nequeat, statim submergitur; ita & homo quando crapulæ & ebrietati seipsum exponit, in præceps vadit, & rationem suam submergit. Denique jacet quasi vivum cadaver, ad mala quidem operanda sæpè potens; ad bona autem omnia nihilo se meliùs habens, quàm mortui.]

Quibus ornamentis decoratur hic locus?

Plurimis. Modò enim tractatur per Anaphoras; modò per distributionem, cùm unaquæque enumeratarum partium suo proprio verbo concluditur; modò per subjectionem, & per congeriem, cum qua magnam habet affinitatem hìc idem locus.

Quid est Notatio?

Est originis & nominis etymologica investigatio; cujus úsus apud Grammaticos frequentior, quàm apud Oratores. Sic Aurelius Cassiodorus exponens illud Psal. 1. v. 1. *Beatus vir*; ait: [isti beato, qui à proposito suo nulla contrarietate removetur, virum subjunxit egregiè: vir enim vocatur à viribus, qui nescit tolerando deficere, aut in prosperis aliquâ se-

ela-

elatione jactare: sed animo stabili defixus, & cœlestium rerum contemplatione firmatus, manet semper impavidus. Hoc etiam veriloquiũ appellavere majores. Etymologia enim est oratio brevis, per certas assonationes ostendens, ex quo nomine id quod quæritur, venerit nomen. Nec dubites quod Virum appellet Dominum Salvatorem, de quo & Zacharias Propheta dicit: ecce vir oriens est nomen ejus.]

Quid est Genus?

Apud Rhetores, qui minùs in hoc religiosi sunt, quàm logici, est quod communius est, & suo ambitu & significatione complectitur minùs commune: Vel, ut definitur à Cicerone in Topicis: Notio ad plures differentias pertinens, ut, si omne ar-

argentum legatum eſt; igitur purum & ſignatum.

Quid eſt materia?

Id ex quo res fiunt.

Quotuplex eſt?

Multiplex: alia prima, alia ſecunda; alia proxima, alia remota. At omiſſis his nimis ſubtilibus Materiæ diviſionibus, Oratores ſępiſſimè conſiderant materiam tùm naturalem, ut in corpore humano, tùm etiam arte ſignatam, ut in manufactis, & inde in compoſitum eliciunt argumenta.

Quid ſentiendum de cauſa efficiente?

Una eſt, quæ latiſſimum dicendi campum ſuggerit, & non tàm verbis, quàm rebus fęcundam ſuſtentat Eloquentiam.

Quotuplex eſt cauſa efficiēs?

Multiplex: Alia enim

eſt

eſt ſuperior, alia inferior; alia primaria, alia adjuvans; alia naturalis, alia moralis, alia artificialis; alia procreãs, alia conſervans, alia interimens. Ex hoc loco graves deſumuntur amplificationes: qualis eſt illa Divi Gregorii Nazianzeni, ubi per longam effectorum enumerationem, Deum primam & nobiliſſimam cauſam cauſarum colligit.

Quid eſt forma?

Eſt, per quam res eſt id, quod eſt. Forma formarum eſt (ob eminentiam videlicèt perfectionis) ut Triſmegiſti philoſophiâ liquet, verbum Divinum, cujus ſcintillæ quædam ſunt formæ omnes, quæ rebus inſperſæ, ei eſſentiam, & vim quandam mirificam impertiuntur.

Quotuplex eſt forma?

Du-

Duplex: una quidem intima, quæ cognoſci ſatis non poteſt; altera ſpecies quædam externa, & rei compoſitio, ſeu figura, de qua frequētiùs Oratores loquuntur. Sic Hominem à figura & ſpecie corporis commendat D. Ambroſius. Forma tamen humani corporis eſt venuſtior, ſtatus erectus, & excelſus, ut neque enormis proceritas ſit, neque vilis, & abjecta puſillanimitas; tum ipſa habitudo corporis ſuavis & grata, ut neque belluina vaſtitas horrori ſit, nec gracilitas tenuis infirmitati.

Quid verò dicemus de fine?

Finis quidem, exitu, cauſarum ultima eſt; deſtinatione autem, prima. Nam ut ex radice rami fructuſque erumpunt, ſic è fine tota ratio,

tio, ac vis humanarum actionum existit. Juverit igitur imprimis in iis quæ tractantur rebus finem accuratè cognoscere; quando ex eo prudens orationis distributio futura sit.

Quid sunt effecta?

Ea, quæ sunt orta de causis. Unde fit, ut causæ in quatuor distinctæ species, totidem effectorum creent genera: est enim suus cuique effectus, quasi soboles addicta, ex quo virium suarum capit argumentum.

Quæ sunt Adjuncta?

Quæ cum re sunt conjuncta, hoc vulgari versiculo contenta:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando?

Vide Cassiodorũ de Dialectica §.Circumstantiæ pag. mihi

mihi 581. & seqq. ubi plura ex M. Tullio circa Adjunctorum notitiam. Audi Petrum Blesensem in c. 2. Job, amplificantem per Adjuncta ultimam tepescentis Religiosi ruinam. [Vanæ cogitationes, statum animæ contemplantis & speculantis Deum, dissipant & confundunt. Unde & unus amicorum istorum meritò vocatur Sophar, idest, dissipatio speculæ. Desideria verò carnis, quæ militant adversùs animam, novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, omninò mortificant, ut anima totius novitatis oblita, solam sapiat vetustatem. Unde & secundus amicus vocatur Baldat, quod interpretatur, vetustas sola. Animo itaque dissipato & turbato in eo judicio rationis, carnis desideriis invalescen-

Pet. Bles.

ſcentibus, Deum contemnere incipit. Peccator enim, cùm venerit in profundum vitiorum, contemnit. Unde tertius Amicus vocatur Eliphas, quod interpretatur, contemptus Dei. Iſtos amicos, aut potiùs domeſticos inimicos, viri Religioſi, & qui viam vitæ arctioris aggreſſi ſunt, frequenter experiuntur. Evenit enim quandoque, ut dum aliquis cõtemplationi devotiùs vacat, muſcæ morituræ ſuavitatem unguenti perdant, quia vanæ cogitationes turbantes quietem contemplationis, obrepunt, & militantibus carnis deſideriis, ſuſcitant amorem ſæculi, Deique contemptum. Religioſus itaque, qui paulò ante in cœlum deſideriis anhelabat, quem inflammabat charitas, quem ſancti Ordinis obſervantia

de-

delectabat, paulatim incipit cælestium oblivisci, cogitare quæ mundi sunt, & contemnere quæ Dei sunt. Turbatur in eo judicium rationis, occupantur semitæ consilii, abducitur lumen cordis, refrigescit devotio, libertas spiritûs evanescit, animæ vigore nervatur, sopitur ratio, confunditur intellectus, fervor Ordinis defervescit, sollicitat miserum paupertatis timor, vana spes decipit, trahit ambitio, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur spes vitæ longioris, blanditur voluptas, allicit mundus, fallit securitas, revocatur antiqua consuetudo, dissimulatur lex, abjudicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Dei, dantur impudentiæ manus, & attentatur saltus ille Apostaticus, saltus
ille

ille ignominiosus, & turpis, de excelso in abyssum, de throno in sterquilinium, de cœlo in cœnum, de paradiso in infernum, de claustro in sæculum.]

Quæ sunt Antecedentia?

Quæ rem necessariò antecedunt; ut: si homo est, animal est; si sol ortus est, dies est?

Quæ sunt comitantia, & consequentia?

Ea dico, quæ rem semper, aut frequenter comitantur, & necessariò consequuntur; ut, si quis accusare aliquem velit, quòd is alicujus belli author extiterit, hoc modo ejus temeritatem amplificabit: exhaustum in barbaros milites ærarium, fractam laboribus juventutem, proculcatas segetes, abacta pecora, incensos passim vi-

cos

cos ac villas, desertos agros, eversa mœnia, compilatas domos, direpta fana, tot orbos senes, tot orphanos liberos, tot viduas matronas, tot virgines indignè constupratas, tot adolescentium licentiâ depravatos mores, tantum funerum, tantum luctûs, tantum lacrymarum: præterea extinctas arces, oppressas leges, obliteratam religionem, confusa divina, humanaque omnia, corruptam civitatis disciplinam: universum, inquam, hoc malorum agmen, quod ex bello nascitur, tibi uni feremus acceptum, si quidem belli fueris author.

Ab his autem tribus locis; Antecedentibus nimirùm, comitantibus, & consequentibus Osorius Episcopus humanæ vitæ miseriam elegantissimè describit his ver-

Osorius

verbis:[Quàm gravis & acerba ſit humanæ vitæ conditio, quàm multis incommodis agitata, nemo poterit vel explicando conſequi, vel enumerando percẽſere. Ut enim à natali cujuſque die capiamus exordium, omneſque vitæ partes oratione perſtringentes, ad exitum tandem illius veniamus, horam nullam videbimus aut dolore vacuam, aut labore ſolutam, aut metu liberam; ſed omnem ætatem infinitis difficultatibus affectam, & ſummis curis & angoribus implicatam. Vitæ namque principium à fletu ducimus, devinctiſque membris omnibus, in terram abjecti, labores immenſos à ploratibus auſpicamur. Cùm autem reliqua animantia, præſidiis naturæ tecta atque veſtita in lucem
pro-

prodeant, ſolum hominem nudum, & ab omnibus rebus inopem cernimus, atque miſerabiliter impeditum in vitæ primordio vagientem, ſtatûſque ſui miſeriam in ipſo ſtatim initio lamentãtem. Quis autem poterit morborum vim & multitudinem, qui in illam naturam teneram, & imbecillam confeſtim incurrunt, oratione complecti? Quæ cura nutrices, quæ ſolicitudo parentes afficiat? Quæ pericula ſint pueris infantibus, primis illis menſibus intenta? Jam verò cùm ætate progreſſi, metu & cupiditate magis atque magis turbari incipiunt, omnia mala quæ minùs antea ſentiebant, fiunt eis quotidie graviora. Cùm autem ad pubertatem perveniunt, tunc ingens vis tempeſtatis exiſtit,

quæ

quæ miſeros homines exagitat, nec eos ullo in loco conſiſtere patitur. Hinc enim acerbi amores invadũt, inde turbulenta diſſidia ſtatum animi convellunt. Quid, cùm amariſſimæ voluptates, multis doloribus emptæ, nervos omnes incidunt? Quid, cùm dolores admoti, totum hominem impetu proſternunt? Quid deinde, cùm adultâ ætate dominandi libido inflammat animũ? Quid, cùm invidia eundem conficit, atque conſumit? Adde, ſi lubet, nuptiarum moleſtias, familiæ labes, vitæ ſolicitudines, fori contentiones. Adde lubricam amicorum fidem, ſociorum proditiones, rerum civilium turbines atque procellas. Quid autem ipſius ætatis extremæ morbos atque moleſtias, & corporis

exhausti deformitatem referam? Quid denique cadaveris ipsius horrificam speciem commemorem? Est ne aliquid in vita vel odore tetrius, vel aspectu truculentius, vel contagio pestilentius? Sic igitur in summa vitæ brevitate vis ingens malorum circumquaque volitat; laborem labor excipit; dolor ex dolore nectitur; mærorem atque luctum gravior quidam luctus sæpè consequitur. Unde colligitur, nihil esse in terris homine calamitosius.]

Quid dicendum de Contrariis?

Amphitheatrum quoddam est hic locus, in quo pugnantium, & collidentium inter se argumentorum robora gratiùs perspiciuntur, & meliùs; siquidem contraria contrariis, opposita magis elu-

elucescunt. Ut si sobrietatis honestas ex descriptione ebrietatis subjiciatur oculis: vel, ut Chrysostomus ostendit, calicem mentis nostrę implendum esse sanguine Christi, sic à contrariis eloquens. [Prędarus est nobis ebrietatis calix: est calix ebrietatis, qui temperantiam gignit, non paralysim. Quisnam ille porro? Calix spiritualis, calix salutaris, calix impollutus dominici sanguinis: non gignit ebrietatem ille calix, non paralysim gignit. Non enim vires dissolvit, sed vires excitat: ille non nervos infringit; sobrietatem quippe affert: ille Angelis venerandus est, hominibus pretiosus, Domino amabilis. Vides quid dicat David de spirituali calice isto, qui propositus est in hac mensa? Parasti in conspectu *Chrys. in ep. ad Eph. 6.*

meo menſam, adversùs eos, qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quàm præclarus eſt! Etenim, ne, audito nomine ebrietatis, ſubitò metueres, & ejuſmodi putares eſſe, ut infirmitatem inducat, adjunxit, eſſe præclarum & firmum: novum ebrietatis genus, robur immittit & validum reddit ac potentem; quippe quod ex ſpirituali petra profluxerit: non eſt deprevatio cogitationum, ſed ſpiritualium cogitationum accumulatio: hac ebrietate ebrii ſumus.]

Quæ ſunt Repugnantia?


Quæ nullâ certâ lege aut numero diſſident: qualia ſunt parcere, & ſævire; diſſimulare, & punire. Hoc loco *Tertull.* invectus eſt Tertullianus in edictum Trajani, qui Chri-

ſtia-

ſtianos non quidem inquiri, ſed oblatos puniri volebat. [O ſententiam, inquit, neceſſitate confuſam! Negat inquirendos, ut innocentes; & mandat puniri, ut nocentes.] Auguſtinus etiam in Pſal.84. ad illud, *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, peccatores pacem velle, ſimulque nolle, graviter à repugnantibus demonſtrat in hunc modum: [Fac juſtitiam, & habebis pacem, ut oſculetur ſe juſtitia & pax; ſi enim non amaveris juſtitiam: pacem non habebis. Amant enim ſe duo iſta, juſtitia & pax & oſculantur ſe; ut qui fecerit juſtitiam, inveniat pacem oſculantem juſtitiam. Duæ amicæ ſunt, tu fortè unam vis, & alterã non facis. Nemo eſt enim qui non vult pacem, ſed non omnes volunt operari juſtitiam. Inter-

Auguſt.

Pſ. 84.



terroga omnes homines: Vultis pacem? Uno ore tibi respondet totum genus humanum, opto, cupio, volo, amo: Ama & justitiam, quia duæ amicæ sunt justitia & pax; justitia & pax se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est, desiderare pacem? Quivis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac justitiam, quia justitia & pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi: ne fureris, & non audis; ne adulteres, & non vis audire; non facias alteri quod pati non vis; non dicas alteri quod & tibi dici non vis, inimicus es amicæ tuæ. Dicit tibi pax: quid me quæris? Amica sum justitiæ;
quem-

quemcumq; invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergò venire ad pacem, fac justitiam. Ideò alius Psalmus dicit tibi: declina à malo, & fac bonum, hoc est, ama justitiam. Et cùm jam declinaveris à malo, & feceris bonum, quære pacem, & persequere eam. Jam enim non diù illam quæres, quia & ipsa occurret tibi, ut osculetur justitiam.]

Quid est similitudo?

Est cognationis quędam inter res similes affectio. Affectio dicitur rerum ne in ipsa tantùm oratione sita existimetur similitudo; oportet enim ante industriam comparantis, mutuam esse in ipsis quæ comparantur rebus speciem similitudinis. Hæc autem affectio, vel major est, vel minor, vel in uno,

vel in pluribus Adjunctis intercedit; quod minimè necesse sit quæ comparantur, consentire prorsùs in omnibus; aliòqui paria magis essent, aut æqualia, quàm verè similia. Richardus à S. Laurentio eleganter illustrat similitudinem, quam invenit crystallum inter & illæsam Mariani Ventris puritatem, his versiculis:

Rich. à S. Laur. lib. 10. de Deip.

Ut solis radius
Intrat innoxius
Fenestram vitream;
Sic Dei Filius,
Imò subtiliùs
Aulam virgineam.

(Addit ibidem:)

Si crystallus sit humecta,
Atque soli sit subjecta,
Scintillet igniculum:
Nec crystallus rumpitur,
Nec in partu solvitur
Pudoris signaculum.

Quo-

Quotuplex eſt ſimilitudo?

Multiplex: alia ſimplex quę duarum eſt rerum in una dumtaxat affectione conſenſus, ut avari & hydropis in cupiditate. Alia multiplex; quâ modò res multæ cum multis in eadem parabola comparantur; modò una cum multis; modò duæ quidem conferuntur, ſed in affectionibus multiplices. Exẽplum afferam ex Seneca epiſt. 76. [In homine optimum quid eſt? Ratio: hæc antecedit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergò perfecta, proprium hominis bonum eſt: cœtera illi cum animalibus, ſatiſque communia ſunt. Valet? Et Leones? Formoſus eſt? Et Pavones. Velox eſt? Et equi. Non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in ſe maximum habeat, *Senec.*

sed quid suum. Corpus habet; & arbores: habet impetum & motum volũtarium, & bestiæ & vermes. Habet vocem; sed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem mobilioremque luscinīæ.]

Insuper similitudo vulgò dividitur in Parabolam, Exemplum, Inductionem. De Parabola satis suprà dictum est, dum de secundo Inventionis fonte loqueremur.

Quid Exemplum?

Facti alicujus vel dicti, cum certi Authoris nomine, expositio.

Quid inductio?

Est similitudinis genus, in quo varia similia coacervari ad aliquam propositionem colligendam solent. Uti bellè S. Augustinus: [longam inquit cœnam malam nemo

vult

vult habere, nec ferre. Longam vitam malam penè omnes volunt habere: utique, si grande est, quod vivimus, bonum sit omnium grande. Quid enim vis malè, dic mihi? Puto nihil: in omnibus actionibus, cogitationibus, cupiditatibus nihil malè vis: terram malam non vis; segetem malam non vis utique, sed bonam, bonam arborem vis, equum bonum, servum bonum, amicum bonum, filium bonum, uxorem bonam. Et quid hæc magna: Quoniam quidem ipsam vestem malam non vis habere, sed bonam. Postremò caligam non vis habere, nisi bonam. Aut da mihi aliquid te velle, quod malum est. Solam animam vis habere malam. Quid te offendisti? Quid de te tu ipse meruisti

ruisti? Non vis esse malum, nisi te solum.] Ex his vult S. Doctor concludere, eum bonum esse oportere, qui omnia bona appetit.

A quibus vitiis est cavendum in similitudinis usu?

Primò, ne sint nimii, aut nimiùm luxuriantes Oratores in iis. Secundò, eæ sunt seligendæ, quæ aures auditoris deceant. Tertiò, ne hyberbolicæ, ne scurriles, & sordidæ; ne nimis minutulæ & tenues. Qua in re, si Paulum Segnerum imiteris, ingenium simul, & judicium ostendes.

SECTIO V.

De Amplifhicatione.

QUid est Amplificatio?

Est plenitudo quędam, quæ, ex omnibus rerum Adjunctis, terminis, & locis, commemoratione deductâ

ductâ roborat orationem. Ut Ejus vim agnoſcas, ſeriò perpende gravitatem amplificationis, quam de Silentio Verbi Infantis ita proſequitur Abbas Guerricus: [Si quis frater acidioſus invenitur inter nos, nolo, ut diutiùs fatigentur aures ejus, ſermone noſtro contemptibili. Tranſeat uſque Bethlehem, & illud, in quod deſiderant Angeli proſpicere, proſpiciat ibi: Verbum ſcilicèt Dei, quod Dominus oſtendit nobis. Imaginetur animo, ſermo Dei vivus & efficax, quali jaceat in præſepi. Si tantum pietas oculum illuminet intuentis, quid tàm delectabiliter poteſt videri, tàm ſalubriter cogitari? Quid æquè mores ædificat, ſpem roborat, charitatem inflammat? Omninò fidelis ſermo & omni

Guerr. Serm. de Nat. Domini.

ni

ni acceptione dignus, omnipotens ſermo tuus, Domine, qui tàm alto ſilentio à regalibus Patris ſedibus, animalium illapſus præſepibus, melius interitu ſuo nobis ſermocinatur ſilentio. Qui habet aures audiendi audiat quid nobis hoc pium & myſticum Æterni Verbi loquatur ſilentium: quoniam, niſi me fallit auditus, inter alia quæ loquitur, pacem loquitur in plebem ſanctorum, quibus reverentia ipſius & exemplum, religioſum impoſuit ſilentium. Et nocte ipsâ quidem impoſuit. Quid enim tanto pondere, tantâque authoritate, diſciplinam commendat ſilentii? Quid tanto terrore compeſcit inquietum malum linguarum, procellaſque verborum; ſicut ſermo Dei ſilens in medio homi-

minum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur Omnipotens sermo, dum Matri subditus est; & nos quâ dementiâ dicemus, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Liberet mihi, si liceret, obmutescere & humiliari, & silere à bonis, ut attentiùs & diligentiùs aurem possem adhibere vocibus arcanis sacrisque sensibus hujus divini silentii, & vèl tanto tempore sub silentio discere in Schola Verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris. O Fratres, si piè & diligenter intendamus huic Verbo, quod Dominus fecit hodie, & ostēdit nobis, quanta quamque facilè possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem breviatum est, ita tamen, ut in

in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirùm Verbum consummans, & abbrevians in æquitate, ipsum est. Et hæc consummatio abbreviata inundavit justitiam, sicut promissum meministis per Isaiam, quia de sua plenitudine in participes suos inundavit justitiam, ut abundet justitia ipsorum plus, quàm scribarum & Pharisæorum; licèt illi per tam multiplices se exerceant justificationes legis; isti autem brevi ac simplici contenti sunt verbo fidei. Sed quid mirum, si omnia verba sua nobis Verbum Dei breviavit, quando & se ipsum breviari, & quodammodò minui voluit; adeò ut de incomprehēsibili immensitate sui, ad angustias uteri quodammodò se contraxerit,

rit & continens mundum, in præſepi ſe paſſum ſit contineri? In cœlo Verbum iſtud horribili altitudine ſuâ virtutes Angelicas ſtupefecit; in præſepi ſimplices & hebetes paſcit &c.]

Quod eſt vitium malæ amplificationis?

Haud ſcio, an ullum ſit vitium à vera germanaque eloquentia magis alienum, quàm inepta, & puerilis amplificatio rerum, & ſententiarum, inani vanoque ſtrepitu verborum intemperantiùs laſciviens. Cui enim non pariunt nauſeam illæ lentæ circumductiones, quas poſtquam cum tædio exſorbueris, oratione permoleſtâ fatigatus, cogeris Laconicum illud exclamare: [Nihil es, præter vocem.]

A quo differt mala à bona amplificatione?

Cùm Amplificatio ſit orationis anima in eo magni ac verè eloquentes Oratores differunt ab ineptis & puerilibus, quod illi utuntur Amplificatione, quæ rerum & ſententiarum magnitudinem paulatim ſuccreſcētem cum juſto verborum pondere contineat; hi verò habeant Amplificationes plenas verbis, & nugis inani quodam ſtrepitu, ad imperitarum aurìum inſidias luxuriantibus.

Quotuplex eſt Amplificatio?

Duplex: una fit per Augmentum; Altera per Exaggerationem convenit, quod utraque ampliorem faciat orationem, ſed illa plus habet diffuſionis,& ambitioſi circuitus, hæc adjunctis rerum, & ponderibus magis augetur, quàm verbis.

Quæ

Quæ melior eſt Amplificationis forma; an tumens illa latèque ſubſultans; an preſſis illigata rationibus & argumentis?

Secundam planè alteri omnes, qui modò guſtum ullum habent ſynceræ eloquentiæ, dubio procul anteponent. Sed evenit non nunquam, ut tales ſint auditores, qui fuſo & luxurianti ſermonis ambitu capiantur, quales fermè plebejæ ſunt & pueriles aures, quibus niſi eiſdem ſententiis pauliſper immutatis, ſæpius inculcatis, propter ingenii imbecillitatem, vix aſſequuntur.

Quærendane eſt materies apta Amplificationi?

Utique. Nam ſicut non ex omni ligno Mercurius, ita nec ex omni argumento naſcitur amplificatio. Pri-

mum igitur amplificatori prudenter ſpectandum eſt, quid quæque oratio poſtulet. Res enim valde minutæ non ſunt capaces amplificationis; niſi fortè in ludo & facetiis; ſolùm gravis materia ſuam ſecum trahit amplificationē.

Totus Cardo Amplificationis ubi conſiſtit?

In his duobus; in locorum nimirùm tractatione, & figurarum uſu. Nunc ſiquidem amplificamus per enumerationem partium, nunc per antecedentia, nunc per cauſas, nunc per adjuncta: modò vivificatur oratio per figuram hypotypoſis, modò per diſtributionem, modò per Antonomaſiam. In contentionibus verò adversùs crimina uſurpantur vehementes increpationes, Ironię amarulentæ, Epiphonemata, exe-

crationes, apostrophæ. Hæc omninò majestatem attollunt orationis, ubi præcipuè figuris dictionum illigantur. Exemplum afferam ex Cicerone sublimis amplificationis, quâ in Oratione pro Quinctio reum calamitosum describit per hypotyposim, & per gradationem. [Miserum est exturbari fortunis omnibus? Miserius, injuriâ. Acerbum est ab aliquo circumveniri? Acerbius, à propinquo. Calamitosum est bonis everti? Calamitosius, cum dedecore. Funestum est, à forti atque honesto viro jugulari? Funestius, ab eo cujus vox præconis quæstu prostitit. Indignum est, à pari vinci, aut à superiore? Indignius, ab inferiore atque humiliore. &c.] Non desunt etiam inter Ecclesiæ Patres, qui

Cic. pro Quinctio nu. 95.

qui nervosè ac luculenter amplificationes tractant. Do imprimis Salvianum qui lib. 3. ad Eccles. Adulatorem venenum ejaculari, & hostiliter ferire, egregiè per hypotyposim tradit, his præter cætera: [Non te moveant blandimẽta eorum, venena tibi sunt. Non respicias adulationes eorum: gladii sunt jugulatores tui, & quidem ferreis atque hostilibus gladiis tetriores. Illos enim, homines cuncti vident; istos incauti non vident. Illi, quia apertè sæviunt, evitantur; isti, quia occultè insidiantur; occidunt: & hoc periculosiores sunt, ac novo nocendi genere pejores, quòd illis ferreis gladiis nemo est penitùs qui se lædi velit; istis multi se etiam occidi volunt; nova atque inæstimabilis mali lethalis illecebra.

Salvian

bra. Illis gladiis quicumque percutitur, & timore pariter & dolore torquetur; istis quicũque occiditur, delectatur. Fuge ergò hoc malum, fuge assentationes insidiantes tibi, fuge obsequelas noxias tibi.] Do Ambrosium, qui lib. de Nabuthe Israelita c.5. ingeniosâ sanè per hypotyposim amplificatione, tàm vivam ærumnosi patris, & crudelitatis avari pinxit imaginem è sacro suggestu, ut ad lacrymas populum emolilerit. [Vidi ego, inquit, pauperem duci, dum cogeretur solvere quod non habebat: trahi ad carcerem, quia vinum deesset ad mensam potentis. Deducere in auctionem filios suos, ut ad tempus pœnam differre posset, inventurus fortè aliquem, qui in illa necessitate subveniret. Redit ad hospitium *S.Ambr.*

tium cum ſuis pater, diruta ſpectans omnia, nihil ſibi ad cibum relictum. Ingemiſcens filiorum famem, dolens, quòd eos non potiùs ei, qui poſſet paſcere, vendidiſſet. Redit ad conſilium; vendendi ſumit arbitrium. Compugnabāt tamen inopiæ injuria, & paternæ pietatis gratia. Fames urgebat ad pretium; natura ad officium. Commori filiis paratus, quàm à filiis ſeparari; ſæpe gradum protulit, ſæpe revocavit. Vicit tamen in eo neceſſitas, non voluntas; & ipſa conceſſit pietas neceſſitati.] Hactenus facti narratio. Nunc pugnam affectuum in paterno animo, & actum undecumque agitatæ mentis, in duriſſima circa ſobolem ſorte, omnes Rhetorum veneres colligens, deſcribit, & gnaviter amplificat,

ficat, eo ferè modo, proportione servatâ, quo Abrahæ in procinctu ad filii sacrificium, procellas mentis, cùm ipse Sanctus Ambrosius tùm alii cultiores Patres proponunt. [Consideremus nũc, ait, patriæ mentis procellas, exæstuantis, quem de liberis prius traderet. Quem, inquit, vendam priorem? Scio enim, quòd non satis est unius pretium ad pastum reliquorum. Hoc solum dives fœcunditas, ad ærumnam. Quem offeram? Quem frumenti auctionator libenter aspiciet? Primogenitum offeram? sed primus me patrem vocavit. Hic est major ex filiis, quem congruè honoro seniorem. Sed juniorem dabo? At istum teneriore amore complector. Illum erubesco, hujus misereor. Illius gradum suspiro,

Lib. 1. de Abrahã cap. 8.

hujus ætatem. Ille jam ſentit ærumnam, iſte ignorat. Flectit me illius dolor, hujus inſcitia. Ad alios me conferam? Ille mihi plus blanditur, iſte plus verecundatur. Ille parenti ſimilior, hic utilior. In illo imaginem meam vendo, in iſto ſpem meam prodo. Me miſerum! Non invenio, quid faciam; non habeo, quid eligam. Circumvallant me facies calamitatum, ærumnarum chorus. Ferina hæc rabies eſt, eligere quem tradas. Feræ ipſæ, cùm pericula imminere proli ac ſibi ſentiunt, ſolent eligere quos liberent, non quos offerant. Quomodò igitur diſcernam affectû naturæ? Quomodò obliviſcar? Quomodò exuam patris mentem? Quomodò filii auctionem conſtituam? Quo ſermone paciſcar

car pretium? Quibus tradam manibus in servitutem filiũ? Quibus oculis aspiciam servientem? Quibus vocibus discedenti valedicam?] Hęc Patris cogitationum collisio ad invicem. Addit ad miseriæ cumulum, Patris ac Filii vendendi Dialogismum, iis adductis, quæ pater mulcendo filio proponere; filius è contra avertendæ patris menti objicere posset. [Quibus factum excusem sermonibus? Fili, ego te pro meo cibo vendidi. Funestior ergò jam pauperis mensa, quàm divitis. Ille addicit alienos, ego meum vendo. Ille necessitatem imponit, ego affero voluntatem. Excusabilior causa, adjiciam: Fili, pro fratribus tuis servies, ut illis quærantur alimenta. Et Joseph à fratribus suis in servitutem

venundatus eſt; poſteà & ipſos & patrem pavit. Reſpondebit & ille: ſed non eum vēdidit pater, ſed flevit amiſſum. Sed poſteà etiam ipſi in poteſtatem divitis venerūt; & vix potuerūt poſteà liberari. Genus ejus, divitiis Ægypti, multâ ętate ſervivit. Vende me poſtremò pater eâ conditione, ne divites emant. Hæc ſi fateor vera, quid faciam? Nullum vendam, ſed cùm unum conſidero, omnes videbo fame pereūtes. Si unum tradam, quibus oculis videbo cæteros de mea impietate ſuſpectos, nè alios quoque vendam? Quo pudore regrediar domum? Quomodò intrabo? Quo habitabo affectu? qui mihi ablegavi filium, quem morbus non abſumpſit, non mors abſtulit? Quâ conſcientiâ cōſiderabo menſam

ſam meam, quam ſicut novellæ olivarum in circuitu tot filii veſtiebant?] Hactenùs Tragędia lapidibus emolliendis par. Concludit verò mellitiſſimus Ambroſius hunc in modum: [Hæc pauper te pręſente deplorat, & tibi avaritia aurem obſtruit, nec mens tua facti miſerabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiſcit, & ſolus dives non flecteris.] Do deniq; Paulinum, qui eâ, quâ ſolet, pietate, & florulentiâ amplificationem nobis ob oculos ponit, in qua libros obſcœnos exitialibus Sirenum carminibus elegantiſſimè comparat, dum ep. 38 ſcribit: [Pernicioſam iſtam inanium dulcedinem literarum, quaſi illos patriæ obliteratores, vaccarum ſuarum lotophagos, ut Sirenarum carmina, blandimentorum

S. Paulinus.

nocentium cantus evita.] Et mox: [nam & voluptatum pestifera dulcedo, Patriæ nobis oblivionem facit, cùm homini Deum, qui est Patria omnium communis, obliterat; & illecebræ cupiditatum illam Sirenarum fabulam, veritate cladis, imitantur. Nam quod illæ Sirenæ fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum; habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum; quorum usus in crimine, pretium in morte numerãtur. Has oportet, ultra Ulyssis astutiam, cauti, non auribus tantùm, sed & oculis obseratis, & animo, quasi navigio prætervolante, fugiamus; nè sollicitati delectatione lethifera, in criminum saxa rapiamur; & scopulo mortis affixi, nau-
fra-

fragium ſalutis obeamus.] S. Auguſtinus etiam lib. 1. *S. Aug.* Confeſs. cap. 16., ubi deteſtatur conſuetudinem diſcendi latinitatem ex laſcivis Poetis, ad libidinē incitantibus, Deorum magiſterio; obſcœnos libros ait eſſe flumen Tartareum; & verbis uno ſe dignis contra hanc turpitudinem tonat, dum hoc argumentum, per metaphoram rapidi fluminis, amplificat.

Quid dicendum de Diminutione?

Hanc Greci vocant μείωσιν: & prudentiſſimæ par eſt Eloquentiæ, eiuſque artificium minimè negligendum. Sic Cupidinem cùm aliquis verboſiſſima oratione laudaſſet, belliſſimè retorquens adverſarius, ſimulque diminuens, cum veſpa contulit. [Alas habet, inquit, & veſ-

pa habet; telum habet, & vespa &c.]

SECTIO VI.

De Dispositione, & partibus Orationis.

QUæ est Dispositionis dignitas?

Ea est, ut sicut ingenii fontes, inventio; sic judicii, Dispositio recludit. Quâ nulla virtus ad pulchritudinem orationis aptior, cõcinniorve reperiri potest; ut à qua omnis concinnitas, & præcipuus emersit in structura ordo. Nam, teste Cassiodoro, de Arte Rhet. cap. 2. pag. mihi 563. [dispositio aliud nil est, quàm rerum inventarum in ordinem pulchra distributio.]

Cassiod.

Quænam sunt primæ dispositionis partes?

Primæ partes ſunt ex ampla rerum copia, quas ſive lectio Authorum ſuggeſſerit, ſive fons ingenii profuderit, pauca & præclara ſeligere. Sedeat igitur in Diſpoſitionis limine judicium, tanquam regius cenſor, qui inventa omnia maturiùs examinet, aliena repudiet, negligat cõmunia; rara, ſi non ad rem fuerint, non gravatè relinquat; eligat pulchra, nervoſa, florida; & quod maximum eſt, ad rem collimantia.

Quænam ſunt diſpoſitionis genera?

Tria illa à Dialecticis enumerata: naturale nimirùm, artificiale, & arbitrarium. Naturale eſt, quod naturæ ordine ſequitur, atque imitatur; atque id quatuor potiſſimùm rebus, tempore, naturâ, loco, dignitate. Ar-

bitrarium est, quod nullâ certâ ratione constat, sed solo dicentis, aut scribentis arbitrio dispensatur. Talis est liber Æliani de Animalibus, ubi omnia de industria permiscet. Artificiale est, quod ab arte ad aliquem destinatum finem aut voluptatis, aut utilitatis dirigitur, ex quo plerumque minimè servato naturæ ordine, prima posterioribus subjungit. Talis est ordo Poetarum, qui de industria res ab ovo non citant, sed à fine, aut medio incipiunt: deinde principia, datâ occasione intermiscent. Artificiale item est, quod non sponte naturæ ubique profusus, sed ab arte cultus & instructus appareat.

Quotuplex est Dispositio artificialis?

Secundùm Aristotelem

tri-

triplex: Analytica, ſeu reſolutiva, compoſitiva, & definitiva.

Quot modis poteſt fieri Analytica?

Quatuor. Primò, cùm à toto ad partes, quas Philoſophi integrãtes, Cicero, totius, appellat, fit proceſſus; ut, ſi quis de toto homine primũ dicat; deinde ſingulas corporis partes pedetẽtim diſcutiat. Secundò, cùm non in partes totius, ſed in partes generis fit gradatio; ut, ſi, explicatâ fortitudine, de magnanimitate in aggrediẽdo, & patientia in tolerãdo diſſeram. Tertiò, cùm propoſitio aliqua in ſua principia gradatim reſolvitur; ut, ſi dicam, tolerandum eſſe dolorem, quia honeſtum eſt, & honeſtum, quia cum virtute conjunctum. Quartò, cùm à fine ad media regreſſus, per

ſimilem gradationem inſtituitur; ut, ſi quis prævideat Rhetoricæ finem eſſe benè dicere, benè dici non poſſe ſine elocutione; elocutionem verbis quaſi corpore, non ſecùs, ac anima, conſtare; ideò inchoandum ab iſtis illi, qui ad deſtinatum ſcopum pervenire velit.

Quænam eſt compoſitiva Diſpoſitio?

Eſt, quæ quatuor item modis primæ eſt oppoſita. Nam à partibus totius ad totum prolabitur: ut, cùm ab elementis Rhetoricæ ad conſiderationem integræ artis conſurgit; ſimiliter in partibus generis, priùs Temperantiæ partes, & momenta; quàm ipſum genus conſiderat. Denique principia enunciationum priùs, quàm enunciationes, media ante finem explicat.

Quę-

Quænam eſt definitiva?

Ex utriuſque temperie conflata: fitque cùm res in genere primùm definitione explicatur, deinde in partes, ſive in ſpecies tribuitur, quæ & ſingulæ deſcriptionibus, proprietatibuſque ſuis illuſtrantur; ut, cùm de optimo genere dicendi, dicturi, quale ſit illud imprimis conſtituimus; mox varia genera, & ſpecies ad uberiorem intelligentiam complectimur; quæ methodus in tradendis diſciplinis optima cenſetur.

Quotuplex eſt Diſpoſitio oratoria?

Triplex, juxta triplicem cauſarum modum, & genus. In conſultatione enim & judiciis, ut res manu fermè ducunt Oratorem, Diſpoſitio facilior eſt. In Laudatione, qui vitam gradatim narrare

ſolet ordo , cenſetur nimis olere ſcholam: ſatius eſt orationem in certa virtutum capita partiri, & res geſtas non ordine naturæ, ſed artificiali recenſere.

Quot ſunt partes Diſpoſitionis?

Quatuor. Præit Exordium, ſuccedit Narratio, aut Propoſitio, quam excipit Confirmatio, & hanc claudit Peroratio.

Quid nobis ſentiendum de Exordiis?

Primò, dici non poteſt, quantæ ſint in hac parte, ex præceptorum redundantiâ, ineptiæ, quamque ignoranter titubetur à multis, qui veteres ſcholæ cantilenas ſcrupuloſiùs obſervandas putant, ubi nihil opus eſt, imò reipsâ penè reclamate, & nauſeantibus auriculis, longo circui-

tu verborum communes & frigidos Exordii nodos ingerunt. Venimus in id penè tempus, ubi vetus Areopagitarum lex renovanda ſit, qui dicere jubebant Oratores ſine exordio. Quorsùm enim illi ambitus, & tot verborum ornatus, ut benevolè audiaris? Hoc ſapientiâ & virtute animi comparatur. Ecquis erga te malè affectus eſt? Quis contra concionem, prȩſertim ſacram, muſſitabit? At dices: Attentione opus eſt; ergò utendum Exordiis? Non ſemper incumbit iſta neceſſitas Exordiorum, quamvis attentos amemus Auditores; nam ut attenderent venerunt, & in principiis aures arrectæ ſunt; vel maximè, ſi res placuerit, attendent. Locus docilitatis videtur magis neceſſarius: ſed & hic paucis perte-

texendus est; nè dum vis dociles facere auditores, incipias divisionibus, & subdivisionibus confundere. Quid igitur? Omnia, inquies, Exordia sunt amputanda? Minimè illud quidem, sed prudenter moderanda: eos tantùm agito, qui in præludiis & prolegomenis amant tempus & aures frustra consumere. [Ubique illis meliùs, quàm in re] politè dixit

Arist. Aristoteles. Res una Exordii est maximè necessaria, indicare finem; cujus gratia sit oratio; cætera plus habere videntur pompæ, quàm necessitatis. Qui verò cum Cas-

Cassiod. siodoro noverit, [Exordium esse orationem animum auditoris idoneè comparantem ad reliquam dictionem] is proculdubiò prudenter judicabit, quando, & ubi sit Exordium

dium necessariò præhabendum.

Ad quot capita reducuntur Exordia?

Omissis tot Rhetorum Commentis, & nominibus, puto Exordia rectè ad sex capita posse reduci. Primum locum obtinent Exordia ab Adjunctis. Secundum, ab expositione finis: ut Athanasium laudans, virtutem laudabo. Tertium à visceribus causæ seu rei, hoc est, internis principiis. Quartum, quę ab exemplis, parabolis, & fabulis. Quintum, quæ ab invocatione, quale est apud Ciceronem pro Muręna. Sextum, quæ ex Abrupto.

Debent ne Exordia esse argumentosa?

Si præsertim tertii sint generis, recipiunt argumenta, non quidem omnia, sed

ea maximè quæ sūt à genere.

Debent item esse florida?

Si sint in genere judiciali, aut deliberativo, simplici cultu debent esse Exordia. Quis enim ineptum non putet, si, cùm totum orationis genus sobrium & grave esse debeat, initium fuco & pigmentis sit delibutum? At in orationibus exornativis, quæ non ad suasionem, sed ad delectationem instituuntur, longè alia ratio: & vehementer errant qui hæc genera unâ ratione præcepti complectuntur. Oportet enim hæc proœmia compta esse & culta; florida & veneribus & gratiis pullulantia, quamquam nolim esse aliquid aut translatum audacius, aut ab obsoleta vetustate, aut poetica licentia desumptum. Nondum enim recepti sumus, &

cu-

custodit nos recens audientium intentio: magis conciliatis animis, & jam calentibus; hæc libertas, si modò unquam toleranda est, feretur alacriùs. Præterea, ceteris orationis partibus uniri Exordia, adaptarique opere pretium est, nè à toto corpore disjūcta, intrusa potiùs, quàm propria esse videantur.

Unde dicitur Exordium?

Dicitur per metaphoram ductam à textoribus; uti proeminm à citharœdis.

Quid est Exordium?

Est, inquit Cicero, principium orationis, per quod animus auditoris, vel judicis constituitur vel apparatur ad audiendum. *Cicero.*

Quot ejus partes?

Nonnulli quatuor asserunt; quamquam istud ubiq; non observetur. Notatur tamen

men plerumque Expoſitio, Ratio, Redditio, Comprobatio.

Quæ Exordii vitia?

Vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, translatum, contra præcepta: hæc ſunt ejus præcipua vitia. Vulgare, quod in communes cauſas accomodatur, ut Delphicus gladius. Commune, quod non minùs in hanc, quàm in contrariam cauſam poteſt accomodari. Longum, quod pluribus verbis, & ſententiis ultra, quàm ſatis eſt, producitur. Separatum, quod non ex ipſa cauſa ductum eſt, nec, ſicut aliquod membrum, orationi annexum. Translatum, quod aliud conficit, quàm genus cauſæ poſtulet; ut, ſi docilem faciat auditorem, cùm benevolum cauſa de-

desideret. Contra præcepta, quod eum, qui audit, neque attentum, neque docilem, neque benevolum efficit.

Quæ ejus virtutes?

Virtutes sunt in quantitate, & qualitate. Quantitas in eo est, ut Orator justam habeat Exordii magnitudinē, & viriliter se expediat. Qualitas, ut de re sit, & pro re, & ab extremo principio ad narrationem descensus subtiliter fiat.

Qui finis Exordii?

Conciliandę benevolentiæ, attentionis, & docilitatis gratiâ. Benevolentia petitur à personis, à rebus, ab adjūctis personarum, & rerum: in persona spectantur, tum clientis nobilitas & innocentia: in adversariis odium, crudelitas, authoritas, &c. Sed hæc ad genus judiciale attinent.

nent. In rebus ſpectatur locus, tempus, opinio, fama, expectatio vulgi, dubitatio, admiratio, votum, invocatio divorum, exemplum inopinatum, &c. Attentionis verò partes ſunt res magnæ, novæ, præclaræ, auditoribus utiles, &c. Docilitatis partes ſunt diſtributionis brevitas, & claritas. In tractatione autem, utplurimùm, omnia debent eſſe modeſta, ſententiæ, vox, vultûs compoſitio, &c.

Quomodò fiunt propria Exordia?

Quando à re ipſa exordimur. Quod ut commodiùs fiat, ſpectanda eſt quæſtio ad dicendum propoſita. Alter modus eſt, quando ab ipſa hypotheſi gradimur ad theſim, & rem initio dicendi proponimus, vel potiùs primis lineamentis adumbramus,

mus, ſine tamen ulla inſinuatione. Demonſtrativum verò genus, ut natum eſt ad pompam, Exordiorum flore præter cætera veſtiri atque ornari ſolet. Sumuntur autem hæc ab adjunctis; & ea ſatis crebra ſunt, quæ per inſignem aliquam hiſtoriam fiunt; cui ſtatim propria redditio accomodatur, quod ſi aptè fiat, ſpecimen habet eruditionis, & ingenii. Contra, ſi tortum, ſi intruſum, ſi nimis affectatum, juvenilem ſtylum ſapit. In Deliberativo, Exordia gravia eſſe oportet, nec tamen curioſiùs elaborata; nihil vetat ab exemplo aliquando incipere; ut ſi quis rem honeſtam, & utilem proponat apud generoſos Auditores, poterit ab hiſtoria generoſi viri exordiri.

Quos decent Exordia ex abrupto?

Exor-

Exordia ex abrupto, & ſine inſinuatione, cuniculis, & quaſi quodam calore mẽtis excuſſa decent apprimè fervidos & acres viros, Laconicæque brevitatis amatores. Idcircò ſæpè in concionibus Imperatorum, & Ducum uſurpantur, ut eſt annotare in Livio, & recentiùs in Famiano Strada. Et quidem apud Livium [Quouſq; tandem ignorabitis vires veſtras, quas natura nè belluas quidem voluit ignorare? -- Quid ſtas miles? Non cum Latino, Sabinoq; hoſte res eſt, quem victum armis, ſociumque ex hoſte facias. In belluas ſtrinximus ferrum: hauriendus, aut dandus eſt ſanguis.]

Quid ſentiendum de Narratione?

Plerique Narrationem in eas anguſtias adduxerunt,

ut id ſolum eſſe vellent, quod facti civilis ſtatuſque cauſæ, ut cœdis, ut furti, ut ſacrilegii &c. expoſitionem complecteretur: quo fit ut eorum de Narrationibus præcepta tenuia ſemper ſint, & inter unius judicialis generis fines contenta. Verùm notatione dignum eſt quod obſervat Fabius Quintilianus [aliud eſſe narrationem cauſæ, aliud eorum, quæ pertinent ad cauſam.] Narratio autem cauſæ tota judicialis eſt, quæ rei, de qua quæritur, continet enucleationem, ut cœdis Clodianæ in Miloniana. Eorum verò, quæ pertinent ad cauſam, latè ſumitur pro cujuſque rei vel facti expoſitione. *Quintil.*

Quot ſunt ſpecies Narrationis eorum, quæ pertinent ad cauſam?

Octo, ut Author eſt Cu-

rius Fortunatianus: scilicèt, Dinguisis, Antidinguisis, Meriquidinguisis, Paradinguisis, Ipodinguisis, Catadinguisis, Epidinguisis, Diasquєusis. Prima est principalis, totam facti rationem solidè complectens. Secunda fit, cùm res secùs narratur, quàm ab Adversariis fuerit exposita. Tertia, quæ non primariam tantùm facti rationem, sed omnes ejus partes & circumstantias enucleatè discutit. Quarta, quæ aliquas res gestas extra causam positas inducit, ad confirmationem tamen causæ non inutiles; ut si dicturus de Seji furtis, nonnulla de ejus ingluvie, & intemperantia, quasi rapacitatis fomite, dicas. Quinta, quæ quæstioni comprobandę subjungitur, & quasi subintexitur à propria narrationis sede di-

digressa. Sexta fit, cùm tota, oratio narrativa est. Septima, cùm latiùs in quæstionibus, vel ante epilogos exequimur eas res gestas, quas in narratione breviter attingimus. Ultima est, quæ res gestas non tam docet, quàm exaggerat. Ex iis fiet perspicuus narrationis usus; siquidem in genere demonstrativo, ut in laudatione personæ, utendum est catadinguisi, & diasquēsi, cùm tota res narrativa sit, sed non exili filo pertexenda, verùm magnis & collucentibus styli gemmis decoranda. In concionibus & chriis; seu orationibus, & scientiæ & quæstionis nulla est dinguisis, aut primaria narratio, sed ejus vices implet generalis Propositio. Variæ tamen sunt Paradinguises. In genere judiciali opus est semper

narratione, nisi constet omninò de re gesta inter accusatorem & reum: sed ea, pro prudentia Oratoris, locũ nonnunquam mutat, ubi aliqua ante cõstitutionem causę pręjudicia, & similia sunt amovenda: aliqua etiam reticet, alia immutat, alia colorat, alia invertit, alia exaggerat, pro causæ & rei necessitate. In genere deliberativo non est ubique necessaria Dinguisis, si constet de re, de qua deliberatur. Sin autem, & Dinguisi plerumque & Antidinguisi utendum est; consilium resque locusq; dabunt.

Quot sunt Narrationes, in universum sumptæ vitia?

Octo. Prolixitas scilicèt; parentheses crebræ, ac longę; ambiguitas verborum & sententiarum; nimia personarũ rerumque multitudo & confusio,

fusio, uno veluti impetu sensibus objecta; quicquid incredibile & fabulis simile, preter communem naturam, preter morem & rationes, atque vias agendi; dictio humilis, obscura, impropria; dissolutio sine ullo decore, nexu, & articulis; ejusdem verbi crebra & inepta repetitio.

Quot sunt Narrationis in universum sumptæ, virtutes?

Quatuor. Expedita brevitas, in qua nihil tamen mancum, nihil concisum, nihil decurtatum videatur. Perspicuitas, quâ oratio, ut pellucidus amnis, fluit. Suavitas, quæ admiratione, expectationibus concitatis, exitu inopinato, motu animi, colloquiis personarum, doloribus expressis, iracundiis, metibus, lætitiis, cupiditatibus efficitur. Probabilitas,

quę eſt in genere; ſi non nimis compta oratio, atq; expolita, ſi eſt authoritas, & pondus in verbis; ſi ſententiæ vel graves vel aptæ opinionibus hominum, vel moribus: Quæque eſt in ſpecie; ſi petatur à perſonis, à temporibus, à loco; ſi cujuſq; facti, & eventûs cauſa ponatur; ſi teſtata dici videantur; ſi cum hominum opinione comprobetur; ſi cum authoritate conjuncta, ſi cum lege; ſi cum more & conſuetudine; ſi cum religione; ſi probitas narrantis ſignificetur; ſi antiquitas, hoc eſt, orationis gravitas; ſi memoria dicentis oſtendatur; ſi orationis veritas, hoc eſt, ſi antea ſolitus eſt vera dicere. Ultimò, ſi vitæ fides addatur.

Quot ſunt confutationis modi?

Quinque, juxta Ariſto-

telem. Primò, contemnendo, & nihili faciendo dicta, adversariorum. Secundò, hypocrisi, hoc est, actione, vultu, gestu, & vocis sono. Tertiò, increpatione, ubi crimen aliquid maximè alienum, vel ipsa judicum opinione, cum indignatione rejicitur: ut, Dii te perdant, fugitive, qui ista rejicis. Quartò, Antisagoge, seu compensatione, cùm afferimus rem vel parẽ vel majorem. Quintò, Apopolanesi, hoc est, deductione, & fallaciâ, cùm Judicem vel Auditorem à re nobis contraria deducimus; quando pollicemur de eo, quod objectum est, nos alio loco esse dicturos; & ita sensim elabimur, auditorumque animos ab eo, quod nos premebat, ad aliarum rerum, utilem considerationem tra-

ducimus; quod ſæpè facit Cicero.

Quis eſt confutationis modus optimus?

Qui habet rationem non levem perſonarum, rerum, & temporum. Multa indignatione, multa riſu, multa interrogationis alicujus urbanitate, tela adverſariorum ſunt perſæpè feliciter hebetata, quæ rationum multitudo nunquam eviciſſet. Videndum igitur diligenter, quid oratoria prudentia præſcribat. Pende verba Senecę graviter refutantis quærimonias hominum contra Dei rectiſſimam providentiam: [Puta Deum dicere, quid habetis, quod de me queri poſſitis, vos quibus recta placuerunt? Aliis bona falſa circumdedi; & animos inanes, velut longo fallacique ſomnio, luſi.

Sen.l.de Provid. c. 6.

Au-

Auro illos, argento, & ebore ornavi; intus boni nihil eſt. Iſti, quos pro felicibus aſpicitis, ſi non quà occurrunt, ſed quà latent, videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecùs culti. Non eſt iſta ſolida & ſyncera felicitas; cruſta eſt, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi, nitent & imponunt; cùm aliquid incidit, quod diſturbet ac detegat, tũc apparet, quantum altæ ac veræ fœditatis, alienus ſplendor abſconderit. Vobis dedi bona certa, manſura. Quando magis verſaveritis, & undique inſpexeritis. meliora, majoraque permiſi vobis, metuenda contemnere, cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecùs; bona veſtra introrsùs obverſa ſunt.

Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui lætus. Intus omne posuit bonum. Non egere felicitate, felicitas vestra est.]

Quis est Cōfutationis ordo?

Hic similiter à prudentia Oratoria dependet: sæpè minuta quædam objecta, quasi levioris armaturæ milites, in primo agmine conciduntur; mox ad graviora devenitur, vel è contra. Sæpè caput illud percellitur, cui cætera, quasi per annulos catenarum nexa cohærent, exinde reliqua nullo negotio dirimuntur.

Quid est Confirmatio?

Ea est, quæ contrariâ ratione eorundē argumentorum utitur; & cæteroqui per idem propè filum extenditur.

Quod est discrimen inter Confirmationem demōstrativam & judicialem?

Illa

Illa ſiquidem, cùm de iis rebus agat ſæpius, quæ omnibus probatiſſimæ ſunt, florem, ornatum, & gratiam ſpectat potiùs, quàm contentioſam probationem. Hæc autem magis inſtat rebus, & argumentis, quàm verbis.

Quid eſt Ratiocinatio?

Eſt diſputatorum proprium telum; & ſi eâ minùs expreſsè Oratores, magnâ tamen dexteritate utuntur. Nam & orationes plerumq; totas in ſyllogiſmo fundatas eſſe videas.

Quid eſt Enthymema?

Si ratio ipſius nominis ſpectetur, omni argumentationi commune eſt, & ſyllogiſmus Dialecticus vocatur. Uſus obtinuit apud Rhetores, ut dicatur breviter comprehenſa Ratiocinatio, cujus tres partes in unius veluti

propositionis corpus coalescunt?

Quid est Dilemma?

Est argumentum cornutum, ab utraque parte torquens adversarium; ut, si improbus est, cur uteris? Sin probus, cur accusas?

Quid est Sorites?

Syllogismum acervalem vocat Cicero, & inter cavillationes numerat Ulpianus. Cavillatio est, cùm ab evidenter veris, per brevissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducitur.

Quid sunt cornua?

Argumentationes captiosæ; ut, quod non amisisti, habes; centum aureos non amisisti; ergò habes.

Quid sentiendum de Peroratione?

Peroratio, quasi extremus

mus actus restat Oratori strenuo & diligenti minimè negligendus. Henricus ille Rex dicebat, se Oratores ex perorationibus agnoscere. Prudentis igitur Oratoris est, initio non ita magnificis illis eloquentiæ propylæis, & Ionicæ structuræ deliciis capi, quin maturè consideret, quâ portâ commodissimè excedere, viriliterque se expedire possit. Et propterea spectandum est causæ genus. Ocurrunt enim plerumque causulæ, quæ nec orationem merentur, nec perorationem: vel etiam breves oratiunculæ, in quibus si perorationem elabores contentiùs, videaris rudis & inornatæ domunculæ, cæteris incuriâ neglectis, grande & locuples posticum extruere. Ubi perorationem non desiderat oratio, saltem co-

conari oportet, ut aliquâ virili & expeditâ conclusione claudatur. Si longior fuerit & gravior, tum erit epilogus summâ diligentiâ adtexendus, nè in portu, quod ajunt, naufragium faciat oratio. Quamquàm verò sæpè in multis orationis locis, post res confirmatas, frequententur epilogi, in fine tamen præcipuum regnum obtinēt.

Quot in rebus sita est Peroratio?

In duabus, in enumeratione scilicèt, & motu. Utrumq; consideratè spectandum, nec levi industriâ tractandum erit.

Quæ sunt potissima Perorationis præcepta?

Hęc. Primò, nè nimius sit Orator in iis pertractandis. Secundò, ut coquus cibos variis condimentis, ita no-

vum

vum orationis ferculum, & sententiarum novitate, & verborum varietate prudenter aspergat. Tertiò, ut illud potissimùm frequentet, quod causæ fundamentum est, & auditorum animis relinquere nititur. Quartò, ut aptos modos accomodet, qui toti sunt in affectibus & figuris; de quibus, consequentibus sectionibus, agendum erit.

SECTIO VII.

De Elocutione.

QUid est Elocutio? Cassiodorus lib. de Rhetor. c.2. ait: [est idoneorum verborum ad inventionem accomodata perceptio.] Vel, ut aliis placet, est apta ad persuadendum & graviter ornata locutio. Hinc *Cassiod.*

M. An-

M. Antonius ajebat [à ſe diſertos viſos eſſe multos, eloquentem autem neminem.] Diſertus namque ſatis putat dicere quæ oporteat: ornatè autem dicere proprium eſt eloquentiſſimi.

Quotuplex eſt Elocutio?

Triplex; dividitur enim in elegantiam, compoſitionem, & dignitatem. Elegantia eſt, quæ facit, ut unumquodque purè & apertè dici videatur. Hæc diſtribuitur in Latinitatem, & explanationem. Latinitas ſermonem purum conſervat ab omni ſolęciſmo & barbariſmo, honeſtamq; in omnibus conſectatur orationis munditiem. Compoſitio eſt ſtructura partium orationis, cujus officium eſt verba inter ſe connectere, nè quid prępoſterum ſit, nè quid aſperum, aut vaſtum,

ſtum, nè quid obſcuratum negligentiùs, nè quid expreſſum putidiùs. Deinde ſingula inter ſe conciſa pulchrè diſtinguere, mox etiam numeroſo periodorũ ambitu vincire. Ejus vis moderata, maximè verò in exornationibus, plurimùm habet ſuavitatis.

Quæ eſt Oratio ſine numeris?

Quę quaſi pannis & centonibus hiſpida videtur ancilla. Tantùm verò in periodis, ad exornativam præſertim orationem, momenti ſitum eſt, ut quadrigæ albæ cenſeantur, quibus regina triumphat eloquentia.

Unde dicta eſt Periodus?

Ex metaphora ducta à curſu circulari, quem curſores obibant in ſtadio.

Quid eſt Periodus?

Denſa & continens frequen-

quentatio verborum cum absolutione ſententiarum.

Quid eſt cavendum in periodo?

Nè juſtę Periodi explendi gratiâ, quo meliùs cadat, aut volvatur oratio, inania quędā verba inculcemus, quaſi complemēta numerorum.

Quotuplex eſt Oratio?

Duplex; vincta, & ſoluta: Vincta eſt quę periodis decurrit: ſoluta, quę licèt ſuos pedes & numeros habeat, non eſt tamen his circumſcriptionibus certâ lege recurrētib⁹ illigata.

Quotuplex eſt Periodus?

Triplex: alia eſt Pneuma, ſeu ſpiritus, & definitur ſtructura orationis, quæ ſenſum membris, inciſiſque definitum, ad Oratoris ſpiritum & vocem accomodat. Talis dicitur juſta Periodus. Alia dicitur Clavis, quia ſicut cla-

vis

vis ostium, sic expeditè reserat vim argumenti. Alia est Chiasmus, quasi decussata à litera X., quæ crucis in modum intersecantibus seipsas duabus obliquis lineis figuratur.

Quot sunt Periodi partes?

Duæ: colon, sive membrum, aut intermissio; & comma, quod intercisio pariter, & articulus nominatur. Membrum est oratio sensus perfecti, sed suspensi, ut: [antequam, P. C., dicam ea, quę hoc tempore dicenda arbitror.] Articulus sive comma dicitur, cum singula verba intervallis distinguuntur, cæsâ oratione hoc modo: [Acrimoniâ, voce, vultu adversarios perterruisti.]

Qui sunt pedes Periodi frequentiores apud Oratores?

Spondæus, Iambus, Mo-

Molossus, Anapæstus, Dactylus, Dochimus, Dichoreus, Pæon primus & secundus. Hæc igitur si fuerit moderatè observata, lætioribus nonnunquam numeris exhilarant orationem. At contrà, si putidiùs discutiantur, sermonis nitorem non mediocriter artis infelicitate corrumpunt.

Quid faciendum, ut hi numeri discantur?

Lectitetur Cicero, & exercitatione excolatur Stylus.

Quid circa mensuram periodi servandum?

Ut sit moderata, ne membris longiùs excurrentibus utamur. Nam neque ars poetica ultra hexametrum progressa est, nisi alicubi in paucis.

Quo artificio implebitur periodus? Quin-

Quinque modorum artificio. Primò, per definitionem; secundò, per enumerationem; tertiò, per interpretationem; quàrtò, per congeriem, sive incrementum; quintò, per adjuncta, sive circumstantias.

Quo artificio venustatur?

Si seligantur verba consonantia, gravia, lenia, nitida. Consonantiora sunt superlativa positivis, in gravi præsertim genere dicendi. Item verbalia præstant plerùmque: ut Dominatrix animi cupiditas, consonantius est, quàm si Dominam dicas. Ad summum, composita, ut grandiora sunt, sic vocaliora: ut [Parentum pœnas à consceleratissimis Filiis repetunt.] Graviora sunt, quæ majorem vim aut bonitatis aut malitiæ ostendunt. Leniora

niora ſunt, ſi vitentur ſordida & abjecta.

Quot ſunt vitia contra compoſitionem?

Sex. Primum, concurſus, & hiatus vocalium; ut [ego omni officio.] Secundum, ejuſdem literæ nimia aſſiduitas; ut [Xerxes opulentiſſimus Rex.] Tertium, ejuſdem verbi nimia iteratio. Quartum, nimis crebra Homæoptota; ut [veniunt flentes, plorantes, lacrimantes, obteſtantes.] Quintum, trajectio verborum, & diſpoſitio inconcinna; ut [inter ſacra movit aqua fraxinos.] Sextum, longa verborum continuatio, & nimis prolixa periodus.

Unde exurgit tertia elocutionis pars, hoc eſt, dignitas?

A figuris.

Quid eſt figura?

Eſt

Eſt lumen , & ornatus orationis in pluribus : ad differentiam Tropi , qui eſt virtus & lumen in uno dumtaxàt verbo; vel, ut Quintiliano placet [eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio] , ut , [lætas ſegetes .]

Quot ſunt Tropi ?

Undecim : in uno verbo ſeptem ; Metaphora , Synecdoche , Metonymia , Antonomaſia, Onomatopœja, Catachreſis , Metalepſis : in oratione verò quatuor ; Allegoria, Periphraſis, Hyperbaton, & Hyperbole .

Quid eſt Metaphora ?

Eſt translatio verbi ex eo loco, in quo proprium eſt, in eum , in quo proprium deeſt ; aut quia translatum proprio melius eſt . Id facimus , aut quia neceſſe eſt, aut

quia

quia significantiùs, aut quia decentiùs, ut gemmare vites, herbas luxuriare. Quâ translatione utimur quadrupliciter. Primò, cùm in rebus animalibus aliud pro alio ponitur; ut, [Scipio allatratur à Catone.] Secundò, cùm inanima pro aliis generis ejusdem sumuntur; ut, [concentu cęlorum nihil est dulcius.] Tertiò, cùm pro rebus animalibus inanima; ut, [Scipio fulmen belli.] Quartò, cùm è contrà pro rebus inanimis animalia; ut, [Pontem indignatus Araxes.] Quod si timeas, ne nimis dura aut audax exurgat trãslatio, mollienda est, præpositis verbis, [si fas sit dicere; ut ita dicam &c.] Patres Ecclesiæ passim utuntur, & scitè quidem, metaphoris. Tertullianus, ut jejunii & orationis nexum ostendat

Tertull. de Pænit. c.9.

osten-

ostenderet, dixit, [jejunium precibus ali.] Petrus Chrysologus dum ait, tria esse, per quæ stat fides, constat devotio, manet virtus, oratio, misericordia, & jejunium; addit: [sunt hæc tria unum; dant hæc sibi invicem vitam. Est namque orationis anima, jejunium; jejunii vita, misericordia est. *S. P. Chrysol. ser. 43.*

Quid est Synecdoche?

Tropus est, per quem totum ex parte; aut contraria, aut ex antecedentibus sequẽtia ostenduntur, ut ex puppi navis, &c, [Fontemque ignemque ferebant.] Huc spectat, cùm vel ex uno plures intelliguntur; ut [, Romanus prælio triumphator] vel genus ex forma, tanquam parte illi supposita; ut [Dentesque Sabellicus exacuit sus] pro quovis sue.

Quid est Metonymia?

Nominis pro nomine positio, adinventor pro re inventa; possessa pro possessoribus; & contrà, contenta pro continentibus, effecta pro efficientibus referuntur.

Quid est Antonomasia?

Est pronominatio; ut, novus Arpinas, pro Cicerone: Thaumaturgus pro Gregorio &c.

Quid est Onomatopæja?

Nominis fictio, ut Syllaturit, idest, Syllam imitatur.

Quid est Catachresis?

Abusio vocis; ut, Equum ædificant.

Quid est Metalepsis?

Est, & exurgit ex his, quæ aliter significant; idest, transumptio ex alio in aliud, veluti viam præstans. Hic autem Tropus est rarissimus, & ma-

& maximè improprius; ut, *Virg. Eccl. 1.*
[post aliquot mea regna videns mirabor aristas.]

Quid est Allegoria?

Est, quæ aliud verbis, aliud sensu ostendit; ac etiam interim contrarium. Non hic est omittenda nobilis & ingeniosa Allegoria, quam è Zodiaci signis S. Zeno Episcop. & Martyr. Veronensis, ad animarum instructionem, intexit, dum scitè verba faciens ad Neophytos serm. 5. sic interrogat: [Forsitan requiritis & à nobis, quâ genitura, quove signo tàm diversos, tàm plures, tam dispares una uno partu vos peperit mater? Sicut parvulis morem geram; sacrique horoscopi pandam totâ brevitate secreta. Igitur, Fratres, genesis talis est vestra. Primos vos, qui in se credentem reprobat *S. Zeno.*

nullum, non Aries ſed Agnus excepit; qui veſtram nuditatem velleris ſui niveo candore veſtivit; qui ſuum lac beatum, vagitu hiantibus veſtris labris indulgenter infudit. Idem non tumidus cervice, non torvus fronte, non minax cornu Taurus, ſed optimus, dulcis, blandus, ac mitis vos admonet vitulus, ut nulla ullo in opere captantes auguria, ejus ſine malitia ſuccedentes jugo, terramque veſtræ carnis domando fœcundantes lætam divinorum ſeminum meſſem cœleſtibus horreis inferatis. Et admonet proſequẽtibus geminis, ideſt, duobus, ſalutare canentibus Teſtamentis, ut principaliter idololatriam, impudicitiam, avaritiamque fugiatis, quæ eſt incurabilis Cancer. Leo autem noſter, ſicut Geneſis pro-

proteſtatur, Leonis eſt catulus; cujus iſta pia ſacramenta celebramus, qui ad hoc recubans obdormivit, ut, vinceret mortem; ad hoc evigilavit, ut beatæ reſurrectionis ſuæ in nos munus immortalitatis conferret. Quem competenter ſequitur Virgo prænuncians Libram, ut noſceremus Dei per Filium, qui incarnatus proceſſit ex Virgine, æquitatem, juſtitiamque terris illatam: quam qui conſtanter tenuerit, ac fideliter miniſtraverit, non dicam Scorpionem, ſed ſicut Dominus ait in Evangelio, omnes omninò ſerpentes illęsâ planta calcabit. Sed nec ipſum quoque Diabolum, qui vere eſt acerrimus Sagittarius, formidabit unquam, variis atque igneis ſagittis armatus, totius humani generis omni

momento corda distringens. Propter quod sic Paulus Apostolus ait : induite vos armaturam Dei , ut possitis stare adversus insidias Diaboli, accepto scuto fidei , per quod poteritis omnes sagittas illius mali, quæ sunt igne plenæ, extinguere. Is enim infelicibus nonnunquam immittit Capricornum vultu deformem , & per cornu exilioris labra liventia , spumantibus venis ebulliens, palpitante ruinâ captivi, totâ miserabiliter per membra desævit, alios amentes, alios furiosos, alios homicidas, alios adulteros, alios sacrilegos, alios avaritiâ efficit cæcos. Longum est ire per singula, varias atque innumerabiles nocendi artes habet; sed has omnes salutari profluens amne , non magnoperè noster

Aqua-

Aquarius delere consuevit; quem necessario uno sequuntur duo Pisces in signo, idest, duo ex Judæis & gentibus populi, baptismatis aqua viventes, in unum populum Christi uno signo signati.]

Quid est Periphrasis?

Est circuitus loquendi, necessitatis, vel ornatus causâ adhibitus; ut,

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divûm gratissima serpit.

Quid est Hyperbaton?

Quod opportunâ ordinis mutatione aliquid ex significatione mutando, numerosam reddit orationem. Lege Fab. Quintilianum lib. 8.

Quid est Hyperbole?

Schema vel Tropus, in quo excedit veritatem sententia; ut [qui candore nives

anteirent, cursibus auras.] Sic Lothus hyperbolica usus est phrase, dum cupidissimus angelicos advenas, in tutela sua constitutos, eripiendi contumeliæ, quæ illis à nefando populo impendebat, obtulit filias suas Virgines ad
Gen. 19. 7. & 8. stuprum, dicens: *Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum; educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.* Nec id suasit, animo inducendi ad malum minus; ad devitandum majus, sed, ut rectè vidit Cajetanus in hunc locum, ad avertendum tantâ suâ submissione populum à cæptis nefariis.
2. Petr. 2. 7. Eâque ratione Lothus, ut *justus*, ab Apostolo Petro lau-
datus

datus subducitur immani flagitio prostitutionis filiarum, certis viris jam desponsatarum. Similem hyperbolem usurpavit Judas, flectendo patri peraccomodam, dicens: *duos filios meos interfice, si non reduxero tibi Benjamin*. David etiam Jonatham alloquens, *si est*, ait, *iniquitas in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas*. Non quod hanc oblationem acceptari vellēt, aut crederent, sed, ut tàm modestâ animi demissione, moverent quos rogabant, & exorarent postulata.

Gen.42. 37.

1. Reg. 20. 8.

Quot modis fiunt figuræ verborum?

Tribus, per adjectionem, per detractionem, & per similitudinem.

Quæ figuræ fiunt per adjectionem?

Hæ. Imprimis Repeti-

tio, quæ est cum ab eodem verbo trahitur sæpiùs oratio; ut [nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas.] Secundò, Conversio, quæ est, cùm in idem Verbum conjicitur frequenter oratio. Cicero in Antonium. [Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? Interfecit Antonius. Desideratis clarissimos viros? Eripuit Antonius. Authoritas hujus Ordinis afflicta est? Afflixit Antonius.] Tertiò, Complexio, quæ Repetitionem & Conversionem complectitur; ut, [Qui sunt, qui fœdera populi Romani sæpè ruperunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui crudele bellum in Italia gesserunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui Italiam deformarunt? Carthaginenses. Qui sunt, qui postulant ignosci? Carthaginen-

Cic.

nen-

nenses.] Quartò, Conduplicatio, quæ est verborum geminatio, magnam vim interdum, & leporem addens. Cicero in Catilinam. [Vivis & vivis, non ad deponandam, sed ad confirmandam audaciam.] Quintò, Traductio, quæ est, cùm verba paululùm immutata ponuntur. Cicero: [Pleni sunt omnes libri, plena exemplorum vetustas &c.] Sextò, Synonimia, quæ est Communio nominis; ut, [prostravit, afflixit, perculit.] Septimò, Polysyndeton, quod est Schema sententiis multorum articulorum convenienti copiâ redundans. Octavò, Gradatio, quæ est, cùm gradatim sursùm versùs reditur; ut, [Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparavit.] *Cic.*

Quæ sunt figuræ verborum, quæ fiunt per detractionem?

Hæ. Primò, Dissolutio, quæ est, cum demptis conjunctionibus, dissolutè plura efferuntur; ut, [ejus virtuti, fidei, felicitati commendata est.] Secundò, Adjunctio, quæ est, quando unum ad verbum, quod primum aut postremum collocatur, plures sententiæ referuntur, quarum unaquæque illud desideraret, si sola poneretur; ut [vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.] Tertiò, Disjunctio, quæ est, cùm eorum, de quibus loquimur unum quodque certo clauditur verbo. Cicero: [Me autem &c. aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut somnus retardarit.] Quartò, Synecdoche

che, non Tropus modò, ſed verborum exornatio fit, cum ſubtractum aliquod verbum ſatis ex cæteris intelligitur. Cicero: [ſermo nullus, niſi de te.]

Quæ ſunt figuræ verborum, per ſimilitudinem?

Hæ. Primò, Annominatio, quæ eſt, cùm paululùm immutata verba, atque deflexa in oratione ponũtur; ut D. Bernardus dixit: [Cœlum mihi cella eſt.] [non laudator, ſed adulator eſt.] &, [hanc peſtem reprimere, non comprimere poſſum.] Secundò, Compar, quæ habet membra orationis, quæ conſtat ex pari ferè numero Syllabarum. Tertiò, Contrapoſitum, quod fit pluribus modis, & habet in omni genere orationis ſummam utilitatem. Unum genus eſt,

cùm

cùm contrariæ res inter se conferuntur; ut, [Alter eorum erat in dando benignus, alter in accipiendo astutus; illum omnes conquirebant, hunc vitabant.] Secūdum est, quando fit in una persona; ut [olim in adolescentia omnem gloriam sectabar; nunc in senectute omnem confusionem amplector.] Quartò, Commutatio, quæ est, cùm duæ sententiæ inter se dissidentes ita efferuntur, ut à priori posterior, contraria priori proficiscatur. [Non ut eadem vivo, sed ut vivam edo.]

Quid verborum figuræ orationi conferunt?

Si quis moderatè, &, cùm causa postulat, verborum figuris utatur, maximè nobilioribus, dulciorem reddet orationem.

Quæ

Quæ ſunt figuræ ſententiarum?

Quæ non in verbis, ſed in ipſis rebus ſuam præferunt dignitatem.

Quid eſt Interrogaaio?

Eſt, quoties non ſcis citandi gratiâ aſſumitur, ſed inſtandi. Ut [quouſque tandem abutêre, Catilina, patientiâ noſtrâ?] Sic S.Cyprianus Ep. & Martyr. Oratorq; diſertiſſimus, ſub finem libri de mortalitate animans eos, qui deficiebant, & cadebant animis, ob vitæ contractionem, per tonſuram generis humani, à lue tunc immaniter graſſante, hæc eloquitur interrogans: [ſi in habitaculo tuo parietes vetuſtate nutarent, tecta deſuper tremerent, domus jam fatigata, jam laſſa, ædificiis ſenectute labentibus, ruinam proxi- *S. Cypr.*

mam

mam minaretur; nonne omni celeritate migrares? Si navigante te, turbida & procellosa tempestas, fluctibus violentiùs excitatis, prænuntiaret futura naufragia; nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, ac ruinam sui non jam senectute rerum, sed fine testatur; & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quòd exitu maturiore subtractus, ruinis & naufragiis & plagis imminentibus exuaris? Considerandum est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hìc interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos isthinc ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos Paradiso restituit, &

regno

regno cœlesti. Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi. Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidiùs optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram Paradisum computamus, parentes, Patriarchas habere jam cœpimus. Quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes nostros salutare possimus? -- Ad hos, fratres dilectissimi, avidâ cupiditate properemus, ut cum his citò esse, ut citò ad Christum venire contingat, optemus.] Quis Cyprianum audiens, non dicat cum Paulo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo?*

Quid est Responsio?

Est, cùm aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius est, occurritur, tùm augendi

gendi criminis gratiâ, tum declinandi. Chrysostomus homil.32. ad populum Antiochenum in fine, post expositam vitam hominis secundùm virtutem, graphicè describit nonnullos, imò plerosque hominum, qui, non modò degenerârunt in bestias ob morum pravitatem, sed & infra bruta se dejecerunt; eleganter admiscens responsiones interrogationibus, in hunc modum: [Quotquot tales non sunt, sunt pejores brutis. Cùm enim in corporeis superêris, animi verò præstantiis careas, quomodò brutis non es inferior? Produc enim aliquem in malitia vigentium, & irrationabilium, viventium in deliciis & avaritia: agnus est ipso bellacior, fortior aper, lepus velocior, speciosior pavo, cygnus

S. Jo. Chrysost.

gnus dulcisonantior, major elephas, aquilæ visûs acutioris, ditiores cunctæ volucres. Unde dignus est igitur brutis imperare? Ex ratione? Sed non inest; cùm enim eâ, non ut debet, utatur, etiam illis pejor est. Nam cùm rationem habens, sit illis irrationabilior, melius erat, si nec ab initio rationalis factus fuisset. Non enim par est, principatum acceptum prodere, & ad tempus non accipere. Nam & qui regnat, & satellitibus pejor est, ei melius esset, si purpuram non induisset. Ita profectò & hîc. Scientes itaque quòd & brutis sumus pejores, si virtute careamus, hanc exerceamus, ut efficiamur homines.]

Quid est subjectio?

Est, cùm Orator vel interrogat Seipsum, & respon-

det

det ſibi; vel, cùm alium rogaverit, non expectat reſponſum. Habet Seneca inſignem ſubjectionem ad cohibendam iram. Nam, cùm hæc ut plurimùm illatæ per alterum injuriæ concitetur; cogitandum diligenter eſt, vel eam injuriæ irrogationem ab aliis renunciatam, vel à nobis ipſis deprehenſam eſſe. [His quæ narrata ſunt, ait in hanc rem moralis Philoſophus lib. 2. de Ira c. 29., non debemus citò credere. Multi ementiuntur, ut decipiant; multi, quia decepti ſunt. Alius comminatione gratiam captat; & fingit injuriam, ut videatur doluiſſe factam. Eſt aliquis malignus, qui inimicitias cohærentes diducere velit. Et ſuſpicax, & qui ſpectare ludos cupiat, & ex longinquo tutoque ſpeculetur quos cõmiſit.]

Senec.

misit.] Cùm verò per nos ipsos injuriam deprehendimus, excusanda cùm alia, tùm maximè personæ conditio. [In his, pergit Stoicus suprà cap.30., naturam excutiemus, voluntatemque facientium. Puer est? Ætati donetur, nescit an peccet. Pater est? Aut tantùm profuit, ut illius jam injuria jus sit, aut fortassis ipsum hoc meritum ejus est, quod offendimur. Mulier est? Errat. Jussus est? Necessitati quis nisi iniquus succenset? Læsus est? Non est injuria pati quod prior feceris. Judex est? Plus illius credas sententiæ, quàm tuæ. Rex est? Si nocentem punit, cede justitiæ; si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? Imitaris illud, si irasceris. Morbus est, aut

cala-

calamitas? Leviùs transiliet sustinentem. Deus est? Tam perdis operam, cum illi irasceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui injuriam fecit? Noli credere. Malus? Noli mirari. Dabit pęnas alteri quas debet tibi: Etjam sibi dedit, qui peccavit.]

Quid est Occupatio?

Est, cùm id quod aut in adversarii causa, aut in judicis opinione esse, aut fore arbitramur, contrarium nobis præoccupamus dicere, & cum ratione dissolvere. Ita Epictetus apud Arrianum lib. 2. cap. 18. ad capessendam virtutis honestatem, nititur cunctationem removere hisque magnificis verbis cunctabundum præoccupat, & seriò increpat: [Quousque tandem differes præstantissima

ma quæque tibi vendicare, & nullatenùs distinctionem rationis violare? Accepisti præcepta, quæ amplectenda tibi fuerunt, eaque amplexus es: Qualem igitur adhuc Doctorem expectas, cujus in adventum, tui correctionem differs? Non jam adolescens es, sed maturâ ætate vir. Itaq; si neglexeris, & cessâris, ac subinde moræ moram, proposito, propositum adjūxeris, & dies alios post alios constitueris; non animadvertes, nihil te profecisse, sed hominem plebejum fore tàm viventem, quàm morientem. Nunc igitur viri perfecti, & proficientis vitam tibi sume, ac quicquid tibi visum fuerit optimum, ea lex sit inviolabilis. Ac si quid laboriosum, aut suave; aut gloriosum, aut ignominiosū ingruerit; me-
men-

mento, tùm adesse discrimen, tùm instare Olympia, nec licere differre: ac profectum unâ clade ac remissione, vel perire, vel retineri. Ita Socrates in Eum evasit qui fuit, cum in omnibus se ipse promoveret; cùm nemini auscultaret, nisi rationi. Tu verò & si nondum es Socrates, sis tamen ut qui Socrates esse velis, debes vivere.] In hæc verba Simplicius Hesiodi dictum illud meritò commendat,

Differ opus, nunquam non conflictabere damnis:

Additque ignavię prętextum, moram esse. Tantum porrò abesse, ut per segnitiem & procrastinationem retundatur difficultas; ut potiùs sensim augescendo, fiat denique ineluctabilis. Pulchre prosequi-

quitur eamdem Occupationis figuram prælaudatus Epicte-tus lib.4. cap.12.: [Quando dixeris: in crastinum adhibebo diligentiam: id abs te dici scito, quò nimirùm velis hodie imprudens, importunus, abjectus esse. Item, in potestate erit alterius, ut me hodie afficiat ægritudine animi, hodie excandescam, invidebo. Considera, quæ mala in te admittas; sed cras, ais, meliùs habebo. Quantò melius, si hodie, quàm si cras cæperis? Plus conducet, si hodie incipias, ut id nimirùm in crastinum quoque prestare possis, ac non in tertium quoque rejicias diem?]

Quid est Correctio?

Est, quæ tollit sententiam aliquam, aut verbum, & eam, sive id; aliâ sive alio, quæ aut quod, magis idonea

five idoneum videtur, emendat & corrigit. Vide infra, ubi exemplum Correctionis habes satis luculentum.

Quid est Dubitatio?

Est, cùm quærimus, unde incipiendum; ubi desinendum, quid potissimum dicendum, an prorsùs dicendum sit. Basilius Seleuciæ cùm præmisisset processionem Divini Emmanuelis in mundum, & omnia ejus adjuncta, subjungit: [Quæ omnia, sancta Domini, totius universi Mater, ac verè Deipara, in corde conferens, uti scriptum est, rerum admirabilium accessione exhilarata, cumulatiore gaudio intus perfunditur, & simul Filii, qui Deus est, oculis mentique objecta amplitudine percellitur. Ut igitur divinum Infantem contemplata est, desi-

S.Basil. orat.39.

desideriis reverentiæ plenis, ut reor, devincta, hæc sola cum solo agitabat colloquia: Quam tibi, Fili, congruam appellationem inveniam? Hominis? At conceptio tua divina est. Dei? At humanam carnem sortitus es. Quid ergò mihi tecum faciendum? Lacte nutricabor, an Deum considerabo? Curabo ut mater, an adorabo ut ancilla? Circumplectar ut Filium, an venerabor ut Deum? Lac indam, an thymiama inferam? Quodnam hoc maximum & inenarrabile miraculum? Cęlum tibi sedes, & te sinus meus gestitat: totus præsto es terram habitantibus; & non à cœlitibus prorsùs abjunctus. Non contingit ista descensio loci mutatione, sed divina fuit condescensio. Deprædico tuam in homines

charitatem, non ſcrutor tuam Incarnationem.]

Quid Communicatio?

2. *in Verrem n. 32.* Cùm aut ipſos adverſarios conſulimus, aut cum Judicibus deliberamus.

Quid eſt Proſopopeia?

Ea eſt, cùm perſonas in rebus conſtituimus, quæ ſine perſonis ſunt; aut eorum hominum, qui fuerunt tanquam vivorum, & præſertim actionem, ac ſermonem inducimus. *Orig.* Ita Origenes contra Celſum. [Nam cùm crudelitatis mater eſt avaritia, tum pater furor: ea huic facinori conjecta parit odium, inde item naſcitur exitium. &c.] Sed inter reliquas eximia eſt Proſopopeia, quâ nobilis quidam noſtri temporis Theologus & Orator inducit almam Dei Parentem, in momento ſuę incontaminatę

Con-

Conceptionis sic Deum alloquentem: [Deus Deus meus (à qua enim voce auspicatiùs ordiar, quàm à tuo suavissimo ac mellitissimo nomine) ad te de luce vigilo. In hac primâ lucis usurâ, hoc in crepusculo vitę exorientis, manè diluculò ad te assurgo, te adoro, te mentis brachiis stringo, te ardeo, piissime, sanctissime, benevolentissime. Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Ex hoc vitæ meæ exordio anima, & per redundantiam caro mea in te æstuosissimè feruntur, te concupiscunt quàm ardentissimè, ut qui vehementi siti exuritur. In hoc abdito, in hoc materni uteri recessu, & avia solitudine, verè in desertâ & inviâ terrâ appareo tibi, sicut in sancto, non secùs ac in

Templo cultui tuo, & honoribus addicto, videns virtutem tuam & gloriam tuam, admirans & celebrans ex intimis medullis tuam potentiam & gloriosa attributa, beneficentiam, magnificentiam. Quâ verò in re, Deus Optime Maxime? Num in structura cœlorum, qui enarrant mutis sermonibus, & tacito clamore gloriam tuã? Num in universi rectione sapientissima, & plena miraculi providentia? An ob collatam mihi vitam & eductionem è mihi abysso, in qua hactenùs delirui? Nihil horum cogito, præ argumento suaviore benevolentiæ erga me tuæ. Quoniam melior est misericordia tua super vitas. Debeo sanè tibi quod vivo, & hoc esse naturale quod fortior, eleemosyna tua

eſt, nihil tale promeritæ collata. Fundum eſt, cui reliqua donorum tuorum veluti fabrica ſuperſtruitur, deincepſque ſuperſtruetur. At ſupra vitam triplicem, quâ me liberaliter intra naturæ ordinem inſtruis (vegetantem, dico ſentientem, rationalem) ac etiam ſupra mille vitas inferioris hujuſce ordinis, ſi totidem largireris, miſericordia, qua me in hoc momento prævenis, anteoccupans inquinationem infuſione gratię tuę melior eſt ac potior ſupra omnem comparationem. Indè tibi benedico, & laudis argumentum capio, nunc corde & affectu te celebrans, ſuo etiam tempore etiam vitulos labiorum, nomini tuo concinentium, adjungam. Nunc quidem auſpicor, benedictionibus te proſequi, ſed reli-

quum vitæ, quanta erit, in hoc pio & necessario erga te affectu, lubens volens consumam. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas. Attollam puras manus in nullo deficientes circa Decalogi tui expletionem. Crescet per tuam benignitatem spiritualis sagina, quâ meam nunc animam farcis & impinguas, unde novarum semper laudum argumētum desumam. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Et verò si in hoc strato animæ, in hoc obscuro, qui me excipit lecto, in inferioribus terræ memor sum tui, & gratè recolo tuam in me benignitatem, non absistam deinde meditari, & recogitare, atque agnoscere

bene-

beneficium hoc matutinum planè singularissimum. In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus. Gaudens gaudebo in perpetuum hanc ob causam; & in hoc velamento alarum tuarum, in hac tanta protectione tua recogitata, exultabo. Erit hæc mihi nunquam intermoriturae lætitiæ & laudis materia, quia adhæsit anima mea post te; quia eruisti me ex inferno inferiori, in quod præcipitatura eram; me suscepit dextera tua.] Vide etiam Boetium qui perpulchram inducit Prosopopeiam lib. 1. Consol. Philos. sub initium. *Boetius.*

Quid est Apostrophe?

Est aversus à Judice, vel Auditore sermo; necessaria plerumque figura, ubi quæ ad alios dicta volumus, ad alios dicere videamur. Te-

nerrima est Beati Ambrosii Apostrophe ad Gratianum, & Valentinianum emortuos Imperatores, quæ sic incipit: [Beati ambo, si quid meæ orationes valebunt. Nulla dies vos silentio præteribit. Nulla inhonoratos vos mea mea transibit oratio. Nulla nox, non donatos aliqua precum mearum contextione transcurret: Omnibus vos oblationibus frequentabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Quis vetabit commendationis prosequutione complecti? Si oblitus fuero te, sancta Hierusalem, hoc est, sancta anima, pia & pacifica germanitas, obliviscatur me dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non meminero Hierusalem in principio meę lætitiæ.

Ipſe me citiùs, quàm vos obliviſcar. Etſi unquam ſermo tacebit, loquetur affectus. Etſi vox deficiet, non deficiet gratia, quæ meis eſt infixa præcordiis. Quomodò ceciderunt potentes? Quomodò uterque ſuper illa Babylonis ceciderunt flumina? Quomodò rapidiora utriuſque vitæ fuere curricula, quàm ipſius Rhodani ſunt fluenta? O mihi Gratiane & Valentiniane ſpecioſi & chariſſimi, quàm anguſto vitam fine clauſiſtis? Quàm proxima vobis mortis fuere confinia? Quàm ſepulchra vicina, Gratiane inquam & Valentiniane? In veſtris nominibus adhærere juvat atque delectari, in veſtra commemoratione requieſcere. Omnibus, Gratiane & Valentiniane, ſpecioſi & chariſſimi, inſepa-

rabiles in vita, & in morte non estis separati. Non vos discrevit tumulus, quos non discernebat affectus: Non causa mortis separavit, quos pietas una jungebat. Non virtutum distantia dispares fecit. Super columbas, simpliciores; super aquilas, leviores; super agnos, clementiores; super vitulos, innocentiores. Gratiani sagitta non est reversa retrò, & Valentiniani justitia non fuit vacua, nec inanis authoritas. Quomodò sine pugna ceciderunt potentes? Doleo in te, fili Gratiane, suavis mihi valde. Plurima dedisti tuæ pietatis insignia. Tu me inter tua pericula requirebas; tu in tuis extremis me appellabas, meũ de te plus dolebas dolorem. Doleo etiam in te, fili Valentiniane, speciosus mihi valdè.

Ceciderat amor tuus in me, ſicut amor pignoris --- Hei mihi, qualia amiſi pignora! Quomodò ceciderunt potentes, & perierunt arma concupiſcentia Deum? Et quia nemo habet quod alii plus deferat, quàm quod ſibi optat, non me ab illis poſt mortem ſepares, quos in hac vita clariſſimos ſenſi; Domine, peto, ut ubi ego fuero, ſint & illi mecum; ut illic eorum perpetuâ copulâ fruar, quia hîc uti eorum diuturniore conjunctione non potui. Te quæſo, ſumme Deus, ut chariſſimos juvenes maturâ reſurrectione ſuſcites & reſuſcites; ut immaturum hunc vitæ iſtius curſum, maturâ reſurrectione compenſes.]

Quid eſt Hypotypoſis?

Eſt propoſita quædam ratio rerum ita expreſſa verbis,

bis, ut cerni potiùs videatur, quàm audiri; ut, [inflammatus ſcelere ac furore, in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.] Hieronymus Stridoniẽſis conſolaturus Salvinam nobiliſſimam fœminam, quæ Maritum Nebridium amiſerat, ſuperſtites ex eo parvulos Nebridium & Sororem illi ob oculos ponit, ſic affabrè per Hypotypoſim expingens: [Tenemus pro eo dulciſſimos liberos uxor heres, pudicitiæ pretium eſt. Nebridius Puſio patrem quærentibus exhibet. Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat: ſcintilla vigoris paterni lucet in filio; & ſimilitudo morum per ſpeculum carnis erumpens, ingentes animos anguſto in pectore verſat. Jungitur ei germana, roſarum & lilio-

Cicero.

Hieron. ad Salvinam.

liliorum calathus, eboris ostrique commercium. Sic refert ore patrem, ut ad venustatem propensior sit: sic matrem mixtâ similitudine pingit, ut in uno corpore utrumque agnoscas. Ita suavis est, & mellitula, ut honor sit omnium propinquorum. Hanc tenere non dedignatur Augustus; hanc fovere in sinu Regina lętatur; certatim ad se omnes rapiunt. Pendet ex collo, hæret in brachiis singulorum. Garrula atque balbutiens, linguæ offensione fit dulcior. Habes igitur, Salvina, quos nutrias, in quibus virum absentem tenere te credas. Ecce hereditas Domini, filii, merces, fructus ventris. Pro uno homine duos filios recepisti, auctus est numerus charitatis. Quicquid debebas marito, redde filiis.

filiis. Amore præsentium absentis desiderium tempera.] Sed adspice amoris energiam per varias Hypotyposes concinnè descriptam. Sit prima S. Petri Chrysologi serm. 40. [Nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil lethale reputat amor verus. Quod ferrum quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent separare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet. Si amor est, vincit omnia.] Huic addo Oppianum ex l. 2. Cyneget. v. 411. [Valide amor quantus est, quanta tua infinita potestas? Quanta cogitas, quantum imperitas? Quanta, dive, ludis? Terra est stabilis; telis autem tuis concutitur. Inquies est mare; at tu etiam illud

S. Pet. Chrysolog.

Oppianus.

illud fixiſti. Penetraſti uſque in cœlum, novitque te magnus Olympus. Pertimeſcāt autem te omnia, & cœlum ſpatioſum supernè, & quæcumque infra terram & ſecula triſtia defunctorum.] Vide etiam Max. Tyrium Diſſert. 10. n. 59., & Nazianz. orat. 28. initio.

Quid eſt Apoſiopeſis, ſeu Reticentia?

Cùm intrà nos ſupprimimus ea, quæ dicturi videmur; quòd aut turpia, aut invidioſa, aut aliòquin nobis gravia dictu ſunt; ut

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Et:

Quamquàm ô! ſed ſuperent quibus, ô Neptunne dediſti.

Quid eſt Ethopæia?

Moralis Confictio. Hæc figu-

figura differt à Prosopopęia, eò quòd & ibi personas fingimus, quæ nusquam sunt; hîc certis quibusdam personis verba accomodatè adfingimus, vel ad improbationē earum demonstrandam, vel ad dignitatem; ut (quid Sextus Nevius ad hæc? Ridet nostram amentiam, scilicèt, cùm ab eo officia boni viri desideramus. Et quemadmodùm natus, inquit, quemadmodùm educatus sum, memini, &c.] Legi semel Ethopęiam affabrè à sapientissimo quodā Oratore elaboratam, quam non inutile erit hùc transferre. Advertit in primis, cujus ac quantæ sapientiæ simul, ac excelsitatis animi oporteat esse Regem, qui non sibi regat (id enim esset Tyrannum agere) sed rectionem, in Subditorum bonum di-

dirigat. Posteà idipsum, quod de Rege multis ostendit, in Ignatii Societatis nostræ Institutoris laudem usurpat, & ait: [Perspicuum est, quod dico: subsumamus nunc & cogitemus S. Ignatium cùm Societatem Jesu constituit, concepisse animo, universi Orbis terrarum propè depositi, & miserè jacentis sanationem, sublevationem, informationem, & ad omne opus bonum exequendum, vegetationem: ad omne autem verum malum (quale unicum est, nimirùm morale, judice Augustino lib. 4. de Civit. Dei c. 25.) directionem, Christianis bonis atque probatis consentaneam. Videbat Ignatius, cùm affulxit ei lux de cœlo, ad ineundum consilium quod dixi, quàm malè affecta esset Europa propè

uni-

universa. Nam Lutherus, Zuinglius, Calvinus, & alia diabolicæ informationis ostenta, Germaniam, Poloniam, & conterminas oras miserè depravaverant. Anglia fidem Catholicam fœdis libidinationibus Regis impii adacta ejuraverat. Scotiam eadem gangræna corripuerat. Nec Galliæ parcitum & confinibus Provinciis. Etiam in Italia & Iberia, fidei fermentatio per veteratores Sathanæ Emissarios clàm obrepebat. Fides Europæ magnâ parte varia & multiplex erat, contra Canones Grammaticos, quibus (ut concinnè notat S. Avitus fragm. 3. ex lib. contra Arrianos) nomen, fides, caret plurali numero, quia vera fides nonnisi una est; sicut non est Deus nisi unus, & multitudo Deitatis nul-

nullitas ejus juxta S. Athanasium, orat. contra Idola. Itaque sicut Deus, ut acutè notavit S. Augustinus lib. 13. de Civit. Dei c. 11., Signavit nobis, mortem declinari à nemine posse, quia verbum morior, juxta leges Grammaticas est indeclinabile; aliòquin dicendum esset, morior moriris, quod vetant Latinitatis Magistri; ita iidē negantes voci, fides, numerum multitudinis, providente Deo, insinuarunt unicam esse veram, & à Deo inditam fidem. Scindebatur tamen, ut ajebam, maxima Europæ pars, cùm Ignatius erupit, in multas, easque diversissimas fides. Et cùm, ex Apostoli oraculo sine ulla unica vera fide impossibile sit placere Deo, & pertingere ad salutem; tangebatur tantam cla- Hebr. 11. 6.
dem

dem conspiciens Ignatius, dolore cordis intrinsecùs. Neque tamen id unum fuit mœroris argumentum. Ubi fides pura & incolumis perstabat, restinctâ plerisq; locis ejus animâ, hoc est, charitate, quæ studio virtutum cæterarum admodùm languido, & perceptione divinorum Mysteriorum extra Pascha annotinum ferè obsoletâ, tabescere apud multos videbatur species illa præclara & flos vividus, benè constitutam valetudinem affectam deficiebat; atque adeò nonnisi lurida fidei forma obversabatur. De Africa à spurcis Saracenis, jam olim per Vandalos Arianos in Erebi fauces injecta: De Asia maximàm partem, ejusdem calamitatis cladem jam olim perpessa, & medici manum à multis sæculis fru-

strà

ſtrà præſtolante: De ora Indica ſive Eoa, ſive multò magis Occidua, paulò anteriùs vitam veram, quę in Christo eſt, nonnullis locis aſſecutâ, multò pluribus, necdum vitę lucem adeptâ, quid attinet dicere, quantum commiſerationis argumentum, conſideranti tantam proſtrationem Ignatio præbuerint. Nihil, vel prope nihil uſpiam occurrebat, benè valens & ſanum. Quid ergò? An deſpondenda relevatio tam attritæ valetudinis? An deſpondenda ſalus à tam latè fuſa, tam inveterata, tam exacerbatâ ægritudine? Haud ita viſum magno Medico de cœlis proviſo, quia magnus in terris jacebat ægrotus; ut ad Ignatium, per aliqualem & admodùm diminutā proportionem, verba Bernardi de *Serm. 1.*

de Christo flectam. Itaque de admovenda tam diffusæ tam malignæ ægritudini curatione, urgente eum Christi charitate, cogitationem suscepit. Qui tam vastum consilium agitare animo potuit, nec ad tantæ molis opus exterritus, ad executionem suscepti consilii media idonea conquisivit & adhibuit: quantus animo, quàm portentosæ intelligentiæ, quàm infractæ fortitudinis, quàm exporrectæ charitatis ac beneficentiæ fuit? Demirentur alias ejus dotes alii. Ego, quod à Ruffino l. 2. Vit. PP. c. 23. de Ammonio proditum est, in Ignatio præ cæteris ejus ornamẽtis valere persuasum habeo. Cùm esset humilitate, patientiâ, charitate in Deum ac proximos, admodùm eximiâ, ita ut ambiguum hæ-
rere

rere posset judicium, quæ in eo virtus præcipuè micaret; attamen visum est exploratum, primas sibi denique vendicasse Virtutũ reginam Charitatem. Eam sanè Ignatius prodidit prorsùs singularem in tam erectà voluntate ad gentes omnes, ad omnes status, ad omnes conditiones mortalium, curandas, & planè sancitate cumulãdas &c.]

Quid est Emphasis?

Est, quæ altiorem præbet intellectum, quàm quem verba per seipsa declarant; ut, [jacuitque per antrum immensum,] ubi ingentem illam corporis vastitatem ex loci amplitudine depingit. Et: [cui tota novem per jugera corpus porrigitur.] In sacris etiam Litteris non infrequens est hæc figura. Ut: *Homo natus de muliere,* Empha- *Virgil.* *Job. 14. 1.*

sim

L

ſim habet ly *mulier*, quam explicuit D. Gregorius, dicens: [Quid in ſe habet fortitudinis, qui natus eſt de infirmitate?] Item Apoſtolus ad Timotheum, *hæc* inquit, *meditare*; *in iis eſto*. Unico verbo *eſto* multa comprehendit: ſtudium, curam, amorem, diligentiam & ſimilia. Omnes quippe animæ vires, & omne tempus, cæteris omnibus prætermiſſis, in hoc uno eſſe voluit. Sic etiam cùm Salvator aiit: *Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros. Ego* ſcilicèt, *ego*. qui exemplum hujuſmodi dilectionis ſum daturus è Cruce &c. Vehemens ſanè incitamentum ad inimicos amore proſequendum.

1. Tim. 4. 15.

Matt. 5. 44.

Quid eſt Suſtentatio?

Eſt, quâ diù ſuſpenduntur auditorum animi; ut, [quid deinde? quid cenſetis?

fur-

furtum fortaſſe aut prædam aliquam? Quid improbius?]

Quid eſt Prætermiſſio?

Eſt, cùm dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id quod tunc maximè dicimus. S. Auguſtinus l. de mor. Eccleſ. c.31. refellens Manichæos, & eorum vitæ incompoſitiſſimæ opponens vitam Sanctorum Anachoretarum, ac Cœnobitarum; de prioribus, qui minùs poterant videri conducere Orbi terrarum, ſic, per figuram præteritionis, ſtatuit: [Nihil de hiis dicam, qui ſecretiſſimi penitùs ab omni hominum conſpectu, pane ſolo, qui eis per certa intervalla temporum affertur, & aquâ contenti, deſertiſſimas terras incolunt, perfruentes colloquiô Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, *Auguſt.*

& ejus pulchritudinis contemplatione beatissimâ, quæ nisi Sãctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar. Videntur enim nonnullis, res humanas plus, quàm oporteret, deservisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur.]

Quid est Licentia?

Est, cùm apud eos, quos vereri, aut metuere debet Orator, tamen aliquid pro jure suo dicit, quod eos minimè offendat.

Quid est Concessio?

Est, cùm aliquid etiam iniquum videtur Orator pati, atque concedere, ut quæ deinde dicturus est, graviora videantur. Sic, ut disertissimus

mus Philo lib. de Plant. Noe, oſtenderet, Dei per hominem poſſeſſionem feliciſſimam ſanè eſſe; cum quà nullam, quantumvis amplam & pinguem, terrenam poſſeſſionem componere liceat, per figuram Conceſſionis vita loquitur: [Eant nunc, & glorientur qui condiderunt regna imperiaque maxima. Alii, quia civitatem aut regionem, aut gentem unam ſubjugaverunt. Alii, quia tractus omnes terræ, ad uſque ejus terminos: Græcas barbaraſque gentes, flumina omnia, mariaque, quàm multa, quàm magna ſunt, in poteſtatem ſuam redegerunt. Etiamſi præter iſta, ſublimem illam naturã (quod vel dictu nefas eſt) quam ſolam ſervituti non obnoxiam Opifex condidit, ſibi ſubjeciſ-

cissent: Tamen è plebejorum numero censendi essent, collati cum magnis Regibus, quorum hereditas Deus est. Quantò enim possessor possessâ re habetur potior, & opifex opere suo, tantò magis illi accedunt ad majestatem regiam.]

Quid est Ironia?

Est, quâ aliud verbis significamus, aliud re simulatè sentimus. Lege Ciceronem Orat. pro Ligario, & Act.7. in Verrem. Audiatur S. Cyprianus, qui acri ironiâ invehitur adversùs Pupianum, dum ipsum Cyprianum negaret Episcopum esse. [Nisi, inquit, apud te purgati fuerimus, & sententiâ absoluti; etiam sex annis, nec fraternitas habuerit Episcopum, nec plebs præpositum, nec grex Pastorem, nec Ecclesia Guber-

S. Cyprian.

bernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus Sacerdotem. Subveniat Pupianus & sententiam dicat: judicium Dei & Christi in apertum referat, ne tantus fidelium numerus, qui sub nobis accersitus est, sine spe salutis & pacis exisse videatur.] Et mox: [Annue aliquando & dignare cogitare, imò pronuntiare de nobis, & Episcopatum nostrum cognitionis tuæ authoritate firmare; ut Deus & Christus ejus agere tibi gratias possint, quòd per te Antistes & rector altari eorum pariter & plebi restitutus sit. [Et paulò post: [Quare in hunc scrupulum non inciderunt Martyres, Spiritu Sancto pleni, qui ad Cyprianum Episcopum literas de carcere direxerunt? Nisi si omnes isti communicantes

mecum (ſecundùm quod ſcripſiſti) polluto ore noſtro polluti ſunt ; & ſi ſpem vitæ æternæ communicationis noſtræ contagione perdiderunt. Pupianus ſolus integer, inviolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in Paradiſo, atque in regno Cœlorum ſolus habitabit.] eſt etiam in ſacra Pagina hujus figuræ uſus, ut Gen. 3. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*. Quaſi Deus Pater ad Filium & Spiritum Sanctum diceret: Voluit Adam nobis per eſum pomi fieri ſimilis; en quàm factus eſt diſſimilis: voluit ſcire bonum & malum; en in quale ignorantiæ barathrum corruit. Ita Gennadius, Theodoretus, & Rupertus. Vide alibi paſſim.

Quid eſt Diſtributio?

Eſt

Eſt, cùm aliquid in partes plures diſtribuitur, quarũ ſingularis ratio deinde ſua ſubjungitur. Admirabilem hùc advoco locum S. Auguſtini in Pſal. 140. ad illud: *Et non communicabo cum electis eorum*: ubi refellens ſacrilegam illam peccati apud aliquos, fatum aut ſtellas cauſantes, defenſionem, ſic figuratè diſtribuens, ait: [& iſta, Fratres mei, defenſio qualium eſt? Non ſolùm indoctorum, ſed etiam doctorum. Sedent, & computant ſydera, intervalla, curſus, volubilitates, ſtatus, motus. Intendunt, deſcribunt, conjiciunt. Docti magni videntur. Totum hoc doctum & magnum, defenſio peccati eſt. Eris adulter, quia ſic habes Venerem: Eris homicida, quia ſic habes Martem. Mars ergò ho- S. Aug.

micida, non tu; & Venus adultera, non tu. Vide, ne pro Marte & Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus eſt; novit, quia tu es qui dicis, non ego, judici ſcienti. Porrò ipſe Mathematicus, qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, ut non vèl gratuitam, compares mortem; (emis enim mortem à Mathematico pretio, qui contempſiſti vitam à Chriſto, gratis.) Ipſe Mathematicus, ſi Uxorem ſuam paulò petulantiùs viderit converſari, aut aliquos alienos improbè attendere, aut feneſtram crebrò repetere, nonnè arripit, verberat, & dat diſciplinam in domo ſua? Reſpondeat illi uxor, ſi poteſt, Venerem cæde: Nonne ille reſpondet: Fatua, aliud eſt, quod competit Rectori,

ctori, aliud quod profertur emptori.]

Quid est Permissio?

Est, cùm alicui rei vehementer cōfidimus, & concedere videmur alicujus voluntati: ut, [sed ego jam, judices, summum ac legitimum causæ meæ jus omitto vobis, quod æquissimum videatur, ut constituatis, permitto: non enim vereor, quin etiam si novum vobis sit instituendum, libenter id quod postulo, propter utilitatem communis consuetudinis sequamini.] Eucherius æquè sanctus ac facūdus Orator & Episcopus insigniter versat hanc Permissionis figuram, adhortans ad veræ vitæ amorem, his verbis: [cupiditas vitæ nos delectatione rei præsentis innexuit. Ergò amantes vitam, hortamur ad vi-

Cic.

S. Eucherius ep. paræn.

vitam. Vera ratio est persuadendi, cùm id poscitur, ut impetremus à vobis quod concupiscitis. Pro vitâ, quam diligitis, legatione apud vos fungimur: & hanc, quam omnes exiguam amatis, insinuamus ut ametis æternam. Quam quo pacto amemus, nescio, si non hanc quam amamus; esse quàm speciosissimam cupimus. Itaque istud, quod & arctum sit, placet; placeat magis, si potest esse æternum: & quod apud nos pretium habet, cùm finem habeat, sit nobis suprà pretium, si potest esse sine fine.]

Quid est Deprecatio?

Est loquendi forma, quà opem alicujus imploramus. Cicero pro Dejotaro. [Quã ob rem hoc nos primùm metu, C. Cæsar, per fidem, &

Cic.

con-

constantiam, & clementiam, libera; ne residere in te ullam partem iracũdiæ suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam Regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti.] sed audi Tubam Eloquentiæ cœlestis Apostolum. *Ipse ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem Christi, qui in facie quidẽ humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præsens audiam &c.* Sic Divus Chrysostomus, posteaquam vehementer in eos invectus esset, qui sorores adoptivas domi fovebant, hac Deprecatione sermonem clausit: [Oro igitur, & supplico & ante genua vestra me provoluo, & omnibus preces offero, persuadeamini; & ab hac ebrietate redeamus: simus nostri ipsorum compotes, & agnoscamus honorem,

Eph. 4.

2. Cor. 10.

quem dedit nobis Deus; & Paulum clamantem audiamus: ne ſitis ſervi hominum, & mulieribus ſervire ad communem omnium perniciem deſinamus.]

Quid eſt Execratio?

Eſt, quâ malum alicui precamur. Cicero pro Dejotaro. [Dii te perdant, fugitive, ita non modò nequeam, & improbus, ſed fatuus, & amens es.] Job: *Pereat dies, in qua natus ſum; & nox in quà dictum eſt, conceptus eſt homo.* Acris eſt & illa Didonis apud Maronem:

Cic.

Job. 3.

Virgil.

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiſcat.
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras &c.

Quid eſt Epiphonema?

Eſt rei narratæ vel probatæ ſumma acclamatio; ut,

Tan-

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Bernardus ferm.3. de Pasch. explicans inimicitias & bellum, qnod erga Deum exercet Peccator, ejusque propria voluntas, unica peccati parens, vitiique adminiſtra, inquit: [Porrò voluntas propria quo furore Dominum majeſtatis impugnet, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. Primò namque ſeipſam ſubtrahit, & ſubducit ejus dominatui, cui tanquam authori ſervire debuerat, dum efficitur ſua. Sed numquid contenta erit hac injuriâ? Addit adhuc; & quod in ſe eſt, omnia quoque quæ Dei ſunt, tollit & diripit: Quem enim modum ſibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per uſuram acquirit pecuniam modicam, ſimili- *Bern.*

ter

ter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter, nemini, qui sit in propria voluntate, posset, universus mundus sufficere. Sed utinam vèl rebus istis esset contenta! Nec in ipsum (horribile dictu) desæviret Rectorem! Nunc autem & ipsum (quantum in ipsa est) Deum perimit voluntas propria. Omninò enim vellet, Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergò eum non esse Deum; quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem.] ultimò hoc Epiphonemate concludit: [Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam sa-

sapientiam perire desiderat.]

Quid est Exclamatio?

Quæ exprimit significationem doloris aut iræ alicujus, per hominis aut rei cujuspiam compellationem; ut, O longam sectionem! Ejus igitur fastidiū fallamus dulcissima Exclamatione S. Ildefonsi Episc. ad Deum, cum enumeratione gratiarū, quas B. Virgini largiter contulit. Is libro de Virginitate B. Mariæ c.2. in fine sic exclamat; [O virtutum omnium Deus! O creaturarum omnium Deus! O factor omniū Deus! O mirabilium author omnium Deus! Qui cunctis miraculis tuis, insignibus universis tuis, totis mirabilibus tuis, hoc factum, hoc opus, hoc gestum, hoc factum, miserationis thesauros aperiens, pietatis arcana demonstrans, indul-

S. Ildefonsus.

indulgentiæ divitias reſerans, clementiæ rivos emittens in ſalutem meam, & mundi; in redemptionem meam, & mundi; in liberationē meam, & mundi, feciſti ſine loquendi ratiocinatione mirabile; egiſti ſine rei exemplo ſingulare; formaſti ſine comparationis ſimilitudine potentiale; compleſti ſine conſimili æquiparatione vitale; finxiſti ſine intelligendi conſideratione inæſtimabile; ſine oblivione perenne, ſine defectu ſtabile, ſine interruptione juge, ſine fine laudabile; per quod error amotus eſt, per quod languor ablatus eſt, per quod peccatum deletum eſt, per quod mors verè deſtructa eſt; per quod eundi invenimus viam, per quod aſſequimur perveniendi veritatem, per quod adipiſcimur requieſcendi vitam.] SE-

SECTIO VIII.

De Affectibus.

Quid est Affectus?

Est sentientis animæ ex boni vel mali opinione nata commotio.

Quotuplex est Affectus? *Aristot. D. Tho.*

Scholastici cum Aristotele, 2. Ethic. & D. Thoma 1. 2. quæst.23. undecim enumerant, sub quibus reliqui, si qui sunt, comprehenduntur. Cùm enim species boni aut veri aut apparentis sese offert, statim oritur in parte concupiscibili amor; qui si augetur, dicitur zelus. Sequitur desiderium, quod cùm est vehemens, vocatur concupiscentia. Si bonum est præsens, nascitur delectatio; quæ si exteriùs exprimitur,

tur, hilaritas, exultatio, jubilus dici solet. At si objicitur imago mali, adversùs illud insurgit odium; si præsens adest, tristitia existit; quę si est nimia, nuncupatur tædium; si retardat ab opere, accedia: si est de malo alterius, tanquam ad nos spectante, misericordia; si est de bono alieno, tanquam minuentem excellentiam nostram, invidia; si de malorum prosperitate, quâ putantur indigni, nemesis. In parte verò irascibili ex apprehensione boni ardui absentis procedunt spes & desperatio; ex opinione mali ardui absentis audacia & timor. Spes nimia in præsumptionem, audacia in temeritatem degenerant; Si timor oritur ex novitate rei, fit admiratio; si ex vehementi apprehensione imminētis adve-

verſitas, fit perturbatio, quæ poſtea deſinit in ſtuporem, angorem & anxietatem. Si res quæ timetur ſuperat vires, fit ignavia & ſegnities; ſi habet adjunctam in ſe turpidinem naſcitur verecundia, ſi in aliorum opinione, erubeſcentia. Si culpa metuitur ubi non eſt, ſcrupulus nuncupatur. Cùm verò malum arduum jam inſtat, ira erumpit; quæ ſi creſcit, in furorem, & rabiem tranſit. Hæc animi pathemata, hi motus ſunt: undè non inſulsè cecinit Juvenalis

Quicquid agunt, homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia diſcurſus &c. *Juvenal.*

Quænam eſt affectuum ſedes?

Cor humanum. Hinc Ariſtoteles lib. 3. de Partibus Ani-

Animal. cap.4. docuit, omnes animi passiones oriri ex corde; [Cor enim, inquit, omnium partium primum consistens, sanguinolentum est; motus etiam lætitiæ ac tristitiæ; denique omuium sensuum hinc oriri, eòdemque desimere videntur.]

Arist.

Quænam sunt affectuum instrumenta?

Spiritus, calor, & sanguis: & ad hæc instrumenta naturalia plerùmque externæ causæ accedunt, ut Dæmones, unde affectus dæmoniaci: Quibus relictis nobis solùm futurus est sermo de iis, qui humanitùs concitari, commoverique solent.

Quid spectandum est in iis, qui movent affectus?

Non est hominis cujusvis excitare affectus: quippe donum Dei est. Sit igitur

hæc

hæc prima conditio, ad bonos motus in hominum pectoribus accendendos, Dei videlicet moventis ſpiritus; & quò plus cum Deo commercii habuerint Oratores, eò in excitandis affectibus fore vehementiores. Sit ipſi concionatori flumen eloquētiæ, ut olim Demoſtheni; ſit rivus, ut Iſocrati; ſit fons, ut Æſchini: ſi tamen ipſi deſit Spiritûs Sancti ventus vehemens, erit *velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*; & quamvis ore tonet, nec animos flectet, nec voluntates auditorum permovebit. Quod ſi præſidia quoque humana ſpectemus, ſtatuunt Rhetores, primam & omnium potentiſſimam in humanis rebus motus excitandi rationem, in ſimilitudine affectuum eſſe poſitam. Quos enim impreſſos

Plutarchus in Pericle.

1. Cor. 13. 1.

ſos habent motus Oratores, eos faciliùs in auditorum pectus transfundunt. Ardere te oportet, ſi vis incendere, triſtari cum mæſtis, cum lætis gaudere, cum iratis excandeſcere. Secunda lex, quæ ſpectari debet in Oratore, eſt Sapientiæ majeſtas. Tertia, virtus; maximè verò ſanctitas & juſtitia, vel etiam ſanctitatis & juſtitiæ opinio, quæ eſt *Chriſti bonus* ille *odor*, quo
2.Cor. 2. 15. confragrabat Paulus *in omni loco*. Nihil enim, maculosâ vel vitâ vel famâ, cum hominibus commodè geri poteſt. Sed de his ſuprà ſatis. Quarta, authoritas dicentis dicentis, vehemens quoque animorum eſt incitamentum; & ut amento jacula, ſic robuſtiùs authoritate dicta vibrantur. Quinta, ætatis maturitas, cui honor & impe-

perium, naturæ ipſius calculo videtur attributum. Satis fuit, ut Plutarchus ait, Auguſto ad tumultum inter nobiliſſimos juvenes excitatum, protinus compeſcendum, dixiſſe: [Audite juvenes ſenem, quem juvenem ſenes audiverunt]. Sexta, eloquentiæ vis acris, nervoſa, incitata, non quæ primo impetu ſidat, & collabatur, ſed quæ, perpetuis innutrita rebus, creſcat & fœcundetur. Accedere oportet vocem, nervos, & latera, quæ contentionem illam ferant, & inardeſcentis animi veluti flammas commodè ſuſtentent. *Plutar.*

Quid ſpectandum in perſonis, quæ movendæ ſunt ad affectus?

Imprimis ſpectandi ſunt Auditores, quos cupis permovere, à quibus res, per-

magnum pondus & momentum, dependet: qui cùm naturæ ingenio plerumque disjunctissimi sint, varias quoq; & multiplices sortiuntur affectiones. Cognoscendum igitur est ingenium. Secundò, educatio & consuetudo vitæ. Tertiò, sexus, ætas, conditio, habitudo corporis, & constitutio.

Quæ res ad motum adhibendum?

Valebunt primò rerum descriptiones, quæ acutissimè sensus intimos ferire solent. Secundò, non modò descriptiones, sed ipsæ penè nudæ rerum narrationes, in rebus maximè tristibus, sufficiunt ad modos eliciendos, modò cum eâ, quâ par est, fiant dignitate. Tertiò, figuræ, sententiæ graves, admirabiles, inflammatæ; ut exclamatio-

nes,

nes, deteſtationes, converſiones, querimoniæ, &c.

Quinam ſunt affectus lenes, & violenti?

Illi quidem ſuaviter influunt; hi citato quodam impetu vibrantur. Videſis S. Fulgẽtium Epiſcopum Ruſpenſum; qui paſsim in ſermonibus ſuaves affectus acribus immiſcet.

Quomodò miſcentur affectus?

Prout rerum, actionumque diſſimilitudo poſtulabit, ita gratâ affectuum diſparitate miſcenda.

Quæ ſunt obſervanda in modo & ratione movendorum affectuum?

Primò captanda eſt occaſio. Tunc enim feliciter cadunt Oratorum tali, cùm eis locus & ratio temporis, cæteraque id genus famulan-

tur. Secundò, motus non debent intrudi, ac videri quasi accersiti. Tertiò, nè corrumpantur eruditâ quâdam & reconditâ narratione. Quartò, argumēta debent esse mixta, & confusa, sapientique quodam errore vagari, ut videantur sine ulla artificii exquisitione comparata. Quintò, debent esse in affectibus crebræ, & vibrantes sententiæ: Sidit enim affectus diffusâ oratione. Sextò, in mitibus affectibus dictio erit mobilis & cita; sed tamen honesta & gravis, in vehementibus stylus erit, qui saxa devolvat. Septimò, ut nervi in cithara neque nimiùm intendendi, neque inertiùs remittendi, ità in affectibus procedendum. Octavò, magni motus sæpè exprimendi silentio. Nonò, non in sola peroratione

(quam-

(quamquàm præcipuus eſt in eâ locus) ſed per totam, etiam orationem, ubi res poſtulat, diffundantur affectus.

Supereſt aliquid dicendum de Memoria & Pronunciatione. Sed Memoria ſolâ excutitur exercitatione; de quâ nuper legi libellum dignum, Authore ſuo; penès Hiſpanos inſcriptum [Arte de la memoria.] Pronunciatio verò uſu potiùs diſcitur, quàm, præceptis. Id unum moneo, ut ſit moderata geſtûs ac vocis temperies; nè nimis actuoſa, nè crebris ſuſpiriis interpolata, nè in cantilenas deſinens; nè narium aut gutturis organis modulans.

Quoniam verò de Affectibus ſermò proximè fuit, ſiſtat in ipſis affectibus hæc manuductio: præſertim cùm hodiè naſcentis è ſterili Matre non in-

infœcundæ Virginis pervigilium illuxerit; illius, inquam, Virginis, cui cunctos cordis affectus devovere par est. Nè ſpernas igitur, precor, vectigal mentis meæ tibi gratulantis, ô Hominum Parens & Regina, ſuis in fœtibus tibi deſtinatæ. Gratulor, quòd tam mirè ederis in lucem, felix Puella, olim editura lucem, imò fontem ipſum lucis. Gratulor, quòd cœperis communem hanc haurire auram, ſed non communiter, quia mox afflanda divinitùs. Gratulor, quòd vitam acceperis, mox meliorem præſtitura mortalîbus, ut nō mundo, ſed Numini vivant. Gratulor, quòd laberis ex utero, ſed ſine labe, imò candidior ipſo lacte, quod ſugis. Gratulor, quòd ipſe, quæ te cingunt, faſciæ, inaugurent Regi-

nam, ac Imperii tui ſint inſignia, non infantiæ. Gratulor demùm, quòd tam fauſtum tibi cœlitùs obvenerit nomen;[cujus dulcedo (ut cum ſapientiſſimo tuo Idiota loquar) reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agoniſtas, & jugum diaboli excutit:] Atque in cujus amoribus deſidero totus vivere, totuſque mori.

Raymūdus Jordanus vulgò dictus Idiota.

FINIS.





